



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XXXIIII. De persona Filij, in tres articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

re: negatio verò duplicis processionis ad maxi-
mam pertinet primæ personæ dignitatem. De-
inde in ratione primi, quod optimè per negati-
onem significatur, clauditur necessariò proces-
sionis vtriusque negatio; nam si modo aliquo ab
alio procederet, primum non esset. Postremò
negatio tanto specialior est, quanto communius
est id, quod ea negatur.

SECUNDA verò particula scilicet *per modum
priuationis in genere diuini suppositi*, per quam di-
stinguitur in specie, vel in indiuiduo, declara-
tur in respons. ad 2 distinguendo priuationem cū
Arist. in 5. Metaph. in c. de priuatione. Hanc re-
sponsum optimè distinguit & explicat Caiet.

TERTIA, quòd scilicet sit principium personali-
ter dictum, per quam differt innascibilitas patris
à negatione generationis, quæ conuenit essentię
diuinæ & Spiritui sancto, explicatur ibidem.

QUARTA, per quam etiam differt ab eisdem
scilicet negatio omnis processionis ab alio, in eadem
responsione declaratur.

POSTREMA denique particula, videlicet,
soli patri conueniens in diuinis, probatur in respon-
sione ad quartum argumentum, cuius sensum
exponit & à calumpnia Scoti tuetur Caiet. Hanc
eandem particulam explicant & probant Ban-
Zum. & alij ex pluribus sanctorum Patrum di-
ctis & Conciliorum definitionibus.

QUAESTIO XXXIII.

De persona Filij, in tres articulos diuisa.

DEinde considerandum est de persona filij. Attri-
buntur autem tria nomina filio scilicet Filius,
verbum, & Imago. Sed ratio filij ex ratione patris
consideratur. Vnde restat considerandum de verbo &
imagine.

Circa verbum quaruntur tria.

Primo, Vtrum verbum dicatur essentialiter in di-
uinis, vel personaliter.

Secundo, vtrum sit proprium nomen filij.

Tertio, Vtrum in nomine verbi importetur res-
pectus ad creaturas.

Ordo questionum & articulorum.

POST questionem de persona Patris sequitur
quaestio de persona Filij, quæ tribus nomi-
nibus propriè id est non metaphoricè dictis so-
let nominari, scilicet nomine Filij, Verbi & Ima-
ginis; reliqua verò vel sunt metaphorica, vt lux
& splendor: vel appropriata vt species, æquali-
tas & sapientia: vel coincidunt cum prædictis,
vt genitus & natus, quæ coincidunt cum nomi-
ne Filij: & ideo ad prædicta tria propria redu-
cuntur. De his ergo tribus nominibus agendum
erat in præsentī quaestione. Verum quoniam
ratio Filij ex ratione Patris consideratur, super-
uacaneum erat postquam tractatum fuit de per-
sona Patris vt Pater est, agere de Filio sub ratio-
ne Filij. Igitur de Filio sub ratione tantum duo-
rum nominum agendum instituit S. D. videli-
cet, sub ratione Verbi in præsentī quaestione, & sub
ratione Imaginis in sequenti.

Dubitatio

Sed difficultas confurgit de ordine: A commu-
nioribus enim vt prius naturaliter notis est in-
choandum: constat autem rationem imaginis latius
patere, quam verbum; siquidem omne ver-
bum est imago, sed non e contra. Præcedit igitur
ordine doctrinæ imaginis quaestio eam, quæ
hic priori loco tractat de verbo S. D.

Sed considerandum est, primum illud esse do-
ctrinæ principium, vnde quis oportune discat,
vt ait Arist. in 5. Metaph. in c. de principio; quòd
autem sit Filius imago perfectæ Patris in diuinis,
ex solo modo processionis eius proprio demon-
stratur, quia procedit vt verbum: vt patet ex ambo-
bus art. quest. seq. & ex 2. 3. & 4. a. q. 27. Quoniam
igitur in dicta q. 27. probatum fuit personam Fi-
lij vt verbum ex patre procedere per intellectū
dicente, cuius intelligere est eius esse, ac proin-
dè simillimum ac consubstantiale esse verbū Pa-
tri, ac verè genitum & Filium & imaginem: id-
circo prius de verbo, deinceps de imagine disse-
rendum fuit: vt ex ratione verbi deduceretur i-
mago. Sicut enim Dei Filio singulare est, quòd
procedat vt verbum: ita peculiarem habet ratio-
nem imaginis, ex perfectæ verbi prout tale est ra-
tione ac similitudine deriuatam.

Quærit ergo primò de Filio sub ratione verbi.
De quo tria quærit. Primò: vtrum verbum dicatur
essentialiter, an personaliter? quod est quærere
quasi genus ipsius verbi, an scilicet collocetur in
genere nominum essentialium, an in genere no-
minum personalium. In secundo articulo inuesti-
gat differentiam, & speciem per se primò signi-
ficatam nomine verbi, quærens an sit proprium
nomen Filij? In tertio, quærit respectum eodem
nomine secundariò significatum: an scilicet in no-
mine verbi importetur respectus ad creaturas?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum verbum in diuinis sit nomen personale.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd verbum
in diuinis non sit nomen personale. Nomina enim
personalia propriè dicuntur in diuinis vt pater, & verus
filius. Sed verbum metaphoricè dicitur in diuinis, vt
Origen. dicit super Ioan. Ergo verbum non est perso-
nale in diuinis.

2. Præterea. Secundum Augusti. in lib. de Trin. illud, in
* Verbum est notitia cum amore. Et secundum An-principio e-
selm. in Monol. dicere summo spiritui nihil aliud est, rat verbum
quam cogitando inueneri. Sed notitia & cogitatio
in diuinis essentialiter dicuntur. Ergo verbum
non dicitur personaliter in diuinis.

3. Præterea. De ratione verbi est quòd dicatur. Sed
secundum Ansel. * Sicut pater est intelligens, & filius habetur
est intelligens, & Spiritus sanctus est intelligens: ita in Mono-
pater est dicens, filius est dicens, & Spiritus sanctus est cap. 58.
dicens, & similiter quilibet eorum dicitur. Ergo nomen
verbi essentialiter dicitur in diuinis, & non personaliter.

4. Præterea. Nulla persona diuina est facta. Sed
verbum Dei est aliquid factum. Dicitur enim in Psal.
148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum,
quæ faciunt verbum eius. Ergo verbum non est nomen
personale in diuinis.

Sed contra est, quod dicit Aug. in 7. de Trin. * Sicut
filius refertur ad patrem, ita & verbum ad id, cuius est, & i. pa-
verbum. Sed filius est nomen personale, quia relatiue id post pr.
dicitur. Ergo & verbum.

Respondeo. Dicendum, quòd nomen verbi in diui-
nis si propriè sumatur, est nomen personale, & nulla
modo essentialiale.

Ad cuius euidenciam sciendum est, quòd verbum
tripliciter quidem in nobis propriè dicitur: quartò au-
tem modo dicitur improprie, siue figuratiue. Manife-
stus autem, & communis in nobis dicitur verbum,
quod voce profertur, quòd quidem ab interiori pro-
cedit quantum ad duo, quæ in verbo exteriori inue-
niuntur, scilicet vox ipsa, & significatio vocis. Vox
enim significat intellectus conceptum, secundum
Philosophum in libro 1. Perier. * Et iterum, vox nec in pri-
ex si-

ex significatione, vel imaginatione procedit, ut in lib. A
de Anima [†] dicitur. Vox autem quæ non est signifi-
catur, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur ver-
bum vox exterior, quia significat interiorem men-
tis conceptum. Sic igitur primum & principaliter in-
terior mentis conceptus verbum dicitur. Secunda-
rio verò, ipsa vox interioris conceptus significatur.
Tertio verò, ipsa imaginatio vocis verbum dicitur.
Et hos tres modos verbi ponit Damasc. * in 1. lib. cap.
17. dicens, quod Verbum dicitur naturalis intellectus
motus, secundum quem mouetur, & intelligit, &
cogitat, velut lux & splendor quantum ad primum.
Rursus, verbum est quod non verbo profertur, sed in
corde pronuntiatur quantum ad tertium. Rursus e-
tiam verbum est angelus, id est nuntius intelligentie
quantum ad secundum. Dicitur autem figuratiue
quarto modo verbum id, quod verbo significatur, vel
efficitur: sicut consueuimus dicere, hoc est verbum
quod dixi tibi, vel quod mandauit rex, demonstrato
aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simplici-
ter enunciantis, vel etiam imperantis. Dicitur autem
proprie verbum in Deo secundum, quod verbum signi-
ficat conceptum intellectus. Vnde August. dicit in 15. de
Trinit. [†] Quisquis potest intelligere verbum, non so-
lum antequam sonet, verum etiam antequam sono-
rum eius imagines cogitatione inuoluantur, iam po-
test videre aliquam verbi illius similitudinem, de quo
dictum est: In principio erat verbum. Ipse autem con-
ceptus cordis de ratione sua habet quiddam ab alio proce-
dat, scilicet à notitia concipientis. Vnde verbum se-
cundum quod proprie dicitur in diuinis, significat ali-
quid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem
nominum personarum in diuinis, eo quod persona di-
uina distinguuntur secundum originem, ut dictum
est. Vnde oportet quod nomen verbi, secundum
quod proprie in diuinis accipitur, non sumatur de essen-
tialiter, sed personaliter tantum.

2. 27. art. 3.
q. 5.
D. 116.

Ad Primum ergo dicendum, quod Arriani, quorum
fons Origenes inuenitur, posuerunt filium alium à
patre esse in diuersitate substantia. e Vnde conati
sunt, cum filius Dei verbum dicitur, astruere non
esse proprie dictum, ne sub ratione verbi procedentis co-
gerentur sateri filium Dei non esse extra substantiam
patris. Nam verbum interius sic à dicente procedit,
quod in ipso manet. Sed necesse est si ponitur verbum
Dei metaphorice dictum, quod ponatur verbum Dei
proprie dictum. Non enim potest aliquid metaphorice
verbum dici, nisi ratione manifestationis. Quia vel
manifestat sicut verbum, vel est verbo manifestatum.
Si autem est manifestatum verbo, oportet ponere ver-
bum quo manifestetur. Si autem dicitur verbum,
quia exterius manifestat ea, quæ exterius manife-
stantur, non dicuntur verba, nisi in quantum si-
gnificant interiorem mentis conceptum, quem ali-
quis etiam per exteriora signa manifestat. Etsi ergo
verbum aliquando dicatur metaphorice in diuinis,
tamen oportet ponere verbum proprie dictum, quod per-
sonaliter dicatur.

Ad Secundum dicendum, quod nihil eorum, quæ ad
intellectum pertinent, personaliter dicitur in diuinis, ni-
si solum verbum. Solum enim verbum significat aliquid
ab alio emanans. Id enim quod intellectus in concipi-
do format, est verbum. Intellectus autem ipse secundum
quod est per speciem intelligibilem in actu, considera-
tur absolute. Et similiter intelligere, quod ita se habet
ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu, non e-
nim intelligere significat actionem ab intelligente exe-
untem, sed in intelligente manentem. Cum ergo dici-
tur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro
actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu:
sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. e Vnde
& August. * dicit, quod verbum est sapientia genita.
Li. 7. de tri. Quod nihil aliud est quam ipsa conceptio sapientis. Quæ

524.
Li. 7. de tri.

etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per e. 2. nō solum
eundem modum potest intelligi, quod dicere Deo, sit 8. d. princ.
cogitando intueri, in quantum scilicet intuitu cogita-
tionis diuina concipitur verbum Dei. Cogitationis ta-
men nomen Dei verbo proprie non conuenit. Dicit e-
nim August. * 15. de Trinit. Ita dicitur illud verbum
Dei, ut cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi
volubile credatur in Deo, quod non accipiat formam,
ut verbum sit, eamque dimittere possit, atque infor-
miter quodammodo voluari. Cogitatio enim proprie
in inquisitione veritatis consistit, quæ in Deo locum
non habet. Cum verò intellectus iam ad formam veri-
tatis pertingit, non cogitat, sed perfecte veritatem cō-
templatur. Vnde Anselmus improprie accipit cogitatio-
nem pro contemplatione.

Ad Tertium dicendum, quod sicut proprie loquen-
do, verbum dicitur personaliter in diuinis, & non es-
sentialiter: ita & dicere. Vnde sicut verbum non est
commune patri, & filio, & Spiritui sancto, ita non
est verum quod pater, & filius, & Spiritus sanctus sint
vnus dicens. Vnde August. dicit * 7. de Trinit. Illo Li. 7. de tri.
coeterno verbo non singulus intelligitur in diuinis, sed 8. d. princ.
dici conuenit cuilibet persona. Dicitur enim non so-
lum verbum, sed res quæ verbo intelligitur, vel signifi-
catur. Sic ergo vni soli persona in diuinis conuenit di-
ci eo modo quo dicitur verbum: eo verò modo quo dici-
tur res in verbo intellecta, cuilibet persona conuenit
dici. Pater enim intelligendo se, & filium, & Spiritu-
m sanctum, & omnia alia quæ eius scientia conti-
nentur, concipit verbum: ut sic tota Trinitas verbo
dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus
hominis verbo quod concipit intelligendo lapidem dici-
cit: Ansel. verò improprie accipit dicere pro intellige-
re. Quæ tamen differunt: nam intelligere importat
solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam,
in qua, nulla ratio originis importatur: sed solum in-
formatio quadam in intellectu nostro, prout intelle-
ctus noster sit in actu per formam rei intellectæ. In Deo
autem importat omnimodam identitatem, quia in
Deo est omnino idem intellectus, & intellectum, ut su-
pra * ostensum est. Sed dicere importat principaliter
habitudinem ad verbum conceptum. Nihil enim est q. 14. art. 2.
aliud dicere, quam proferre verbum. sed mediante
verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ
in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola
persona quæ proferret verbum, est dicens in diuinis, cum
tamen singula personarum sit intelligens, & intelle-
cta, & per consequens verbo dicta.

Ad Quartum dicendum, quod verbum sumitur ibi
figuratiue, prout significatum vel effectus verbi dicitur
verbum. Sic enim creatura dicuntur facere verbum
Dei, in quantum exequentur effectum aliquem, ad
quem ordinantur ex verbo concepto diuina sapientia:
sicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit o-
pus, ad quod ex verbo Regis instigatur.

Sensus questii.

IN hoc quæsitio plura sunt explicanda; Pri-
mo dictio illa verbum quæ latè fuit explicata
superius in art. 1. q. 27. Est enim species expressa,
conceptio, intentio intellecta &c. Secundum est
verbum sit quo denotatur hoc in loco non qua-
ri, vtrum possit supponere pro persona, vel ex
accommodatione vltus sit personale nomen; sed
an ex propria sua significatione & simpliciter sit
nomen personale, an non? Tertium est particula
illa nomen personale quod distinguitur cōtra no-
men essentialē, de quorum differentia satis supe-
rius diximus. Postremum est particula illa in di-
uinis quæ significatur hic non quaeri de verbo v-
niuersaliter, sed tantum de verbo, quatenus de
Deo prædicatur, cum dicitur; Et Deus erat ver-
bum.

Forma

DISTINGUIT primò S. D. & distinctionis membra disponit: deinde proponit conclusionem & probat.

Distinctio est. Verbum in nobis dupliciter dicitur, scilicet propriè & metaphoricè: Dicitur autem propriè tribus modis; nam primò & principaliter dicitur verbum interior mentis conceptus; secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua; tertio vocis imaginatio. Probatur prima ratione; Quia manifestius & communius in nobis dicitur verbum, quod voci proferitur: in hoc autem verbo, quod voce proferitur, duo sunt scilicet vox ipsa & vocis significatio: Vox ab imaginatione procedit; prius est enim imaginatio vocis, quam vox exterior: Significatio verò ex conceptione est intellectus. Et dicitur verbum vox exterior ex significatione; nam vox, quæ non est significatiua, verbum dici non potest; igitur primò & principaliter interior mentis conceptus dicitur verbum; secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua; tertio verò ipsa imaginatio vocis verbum dicitur. Secundò probatur eadem dictio trimembris autoritate Damasceni & Augustini, ut patet in textu. Dicitur autem metaphoricè verbum id quod verbo significatur vel efficitur, ut habes in littera.

CONCL. est. Oportet, quod nomen verbi, secundum quod propriè in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum. Probatur. Verbum secundum quod propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens: sed hoc pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis; ergo nomen verbi secundum quod propriè in diuinis accipitur, non sumitur essentialiter, sed personaliter tantum. Minor probatur; quoniam persone diuinæ distinguuntur secundum origines. Maior probatur. Verbum dicitur propriè in diuinis, secundum quod verbum significat conceptum intellectus: sed conceptus cordis ex ratione sua habet, quod ab alio procedat. scilicet a notitia concipientis; ergo verbum secundum quod propriè dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens. Maior huius argumenti probatur autoritate Augustini in 15. de Trin. cap. 10. ubi ait: Quisquis &c.

Expositio Textus.

DVO SVNT hic obseruanda: primum est, conclusionem D. Tho. in sacris litteris ac SS. Patribus & communi Scholasticorum consensu, adeo firma atque perspicua veritatis habere fundamenta, ut oppositam sententiam errorem esse manifestum in fide minimè dubitem. De qua re legendi sunt Ban. super hoc art. Zumel. disp. 1. & Suar. lib. 9. de Trin. cap. 3. Secundum est necessitas triplicis verbi; quam pulchrè tradit S. D. in 1. dist. 27. q. 2. a. 1. quæ colligitur etiam ex discursu huius articuli.

PRIMA CONTROVERSIA.

De ordine significationum huius nominis Verbum.

DUBITATIONEM hic excitat Cai. de ordine inter verba seu verbi significationes in textu positas ex Damasceni & August. inter quas primò statuit S. D. conceptum mentis: secundò vocem eius significatiuam; tertio vocis imagina-

Ationem. Ratio verò dubitandi est, quia vel loquitur S. Tho. de ordine quo ad nos, vel secundum tantum. Si de ordine quo ad nos: primus locus debetur verbo vocis. Si de ordine secundum se, siue quo ad naturam: verbo cogitatiuæ secundus congruit locus; quoniam ex imaginatione cogitatiuæ dependet vocale verbum.

Huic difficultati Cai. respondet dicens hic sermonem esse de ordine naturæ inter intentiones verbi nomine significatas; & rationi dubitandi satisfacit præmissis duplici canone metaphysico, in qualibet multiplicis nominis significatione, quo ad ordinem inter significata cognoscendum, præ oculis habendo. Primus est: omne nomen per prius dicitur formaliter, quam secundum denominationem extrinsecam. Secundus est: omne nomen de pluribus formaliter dictum, prius dicitur de eo, à quo dependet aliud, quàm de dependente ex illo. Ex primo canone patet verbum vltimò dici de verbo cogitatiuæ, de quo non formaliter, sed causaliter tantum dicitur. Ex secundò verò constat nomen verbi prius dici de conceptu mentis, quàm de voce illius significatiua, de qua formaliter quidem dicitur, sed cum dependentia à verbo cordis siue mentis.

Ad rationem igitur dubitandi respondet in forma, ordinem naturæ inter intentiones nominis multa significantis, neque attendi secundum ordinem rerum, in quibus intentiones per nomen significata saluantur, neque secundum ordinem ipsarum intentionum in esse naturæ propter primam regulam; ut patet de hoc nomine calidum quod prius dicitur de re virtute solis calefacta, quàm de ipso sole, à quo dependet calefactio; quia nimirum Soli non conuenit calor aut esse calidum formaliter, sed tantum causaliter. Igitur attenditur ordo naturæ inter intentiones talium nominum secundum habitudinem ipsarum intentionum, in hoc quod est includi in alia, & non è contra. Certum est autem intentionem, quæ est secundum extrinsecam denominationem, includere formalem intentionem seu significationem, & non includi ab ea: cum illa sine hac non possit concipi nec definiri: hæc verò in nullo ab ea dependeat. Cum itaque cogitatiuæ non nisi causaliter insit verbum; conceptui verò mentis ac voci formaliter, postremus meritò locus assignatur verbo cogitatiuæ.

Sed hanc doctrinam Zumel. impugnat in præfatis articuli discursu, dicens rationem verbi non reperiri magis intrinsecè in voce significatiua, quàm in conceptu seu imaginatione ipsius vocis; quia sicut vox significat rem & conceptum, ita vocis imaginatio significat rem significatam per vocem: immo (inquit) sicut conceptus seu imaginatio vocis non est intrinsecè verbum, ita neque ipsa vox habet, quod sit verbum intrinsecè & formaliter, sed tantum per denominationem extrinsecam; quia solum est verbum, in quantum est signum verbi interioris, ut dixit Dur. in primo dist. 27. tum etiam quia vox non est signum intrinsecè & formaliter, sed per extrinsecam hominum impositionem. Denique affirmat idem expositor verbum per posterius dici de vocis imaginatione, quàm de voce ipsa; quia in sui significatione, qua significat rem eandem quàm vox, dependet ex significatione vocis; quia per se non est impositum ad significandum, sed tantum ex impositione vocis.

Eandem Cai. sententiam impugnat Vasquez in sua dubitatione circa articulum, dicens primò doctrinam hanc Caiet. esse contra mentem S. Th. in hoc art. ubi docet verbum vno tantum modo, si-

Solut. Cai.
Canones 2.
metaphysic.

Refutatio
quorundam
superioris
solutionis.

do, nimirum quarto dici metaphoricè & improprie: tribus autem alijs proprie; igitur illo solum quarto modo dicitur verbum extrinseca denominatione secundum mentem D. Tho. Ait igitur Vasc. se existimare verbum imaginationis proprie appellari verbum, & esse qualitatem expressam, qua interius rem aliquam cogitamus; nam participatione (inquit) intellectus imaginationis hominis interius dicitur loqui, eo ipso quod cogitat, & non solum dicitur verbum vocis apprehendere, sed etiam intus secum loqui. Quam sententiam sequitur Suarez lib. 9. de Trin. cap. 2. numero 11. Secundò ait Caiet. falso existimare vocem externam ideò proprie dici verbum, quia natura sua sine libera impositione sit verbum.

Denique Molina supra qu. 27. art. 1. disp. 6. negat nomen verbi impositum fuisse primò ad significandum solum verbum vocale, & deinde vsu frequenti fuisse extensum ad significandum mentis conceptum. Primò, quia si res ita se habet, concedendum est, datum fuisse tempus in quo verbum vocis dictum esset proprie verbum, fili autem Dei, & quicumque mentis conceptus non item Secundò quia tunc concedendum esset vocabulum hoc, *verbum*, magis præcipue dici de verbo vocis, quàm de mentali conceptu; quod pugnat cum August. 15. de Trin. c. 11. Consequenter probatur ab exemplo contrariæ sententiæ: dicunt enim quod sicut videre primò fuit impositum ad significandum actum videndi, qui oculis conuenit: Deinde per accommodationem vsus fuit extensum ad significandam quamcunque euidenter cognitionem cuiusvis potentie cognoscentis: postquam extensionem proprie dicimus Beatos videre diuinam essentiam; ita vocabulum hoc, *verbum*, primò fuit impositum, ut significaret solum verbum vocale; deinde verò ex vsu accommodatione verbum mentis; at videre præcipue dicitur de actu oculorum, minus præcipue verò de actibus euidenter aliis potentiarum; ergo &c.

Resolutio
et defensio
Cai. quæ sit
ratio verbi,
et ordinis
impositionis
nominum.
Sed verissima est doctrina Caietan. qui duobus optimis argumentis probat verbum dici formaliter de verbo vocis: quæ sicut non vidit aut videre neglexit prædictus interpres, ita nec impugnauit aut soluit. Ut autem proposita Zumel. diluantur obiecta

Considerandum est de ratione verbi esse hoc, quod est esse manifestatiuum & expressiuum; primò quidem & immediatè notitiæ vel etiam conceptus, consequenter autem rei cognitiæ vel conceptæ. Verbum igitur mentis, quod est per se primò verbum manifestatiuum & expressiuum est notitiæ habitualis ipsi cognoscenti & dicenti, ut hic aduertit Caiet. ex D. Tho. & eadem etiam ratione rei per verbum expressæ. Verbum autem vocis manifestatiuum primò est & expressiuum interni conceptus, consequenter autem rei conceptu representatæ, ut superius ostendimus qu. 13. art. 1. Cum itaque tota ratio verbi conueniat voci, necesse est eidem etiam nomen verbi formaliter conuenire. Sed verbum cogitatiue cum nihil aliud sit, quàm vocis externe sonantis imaginatio; neque mentis conceptum, neque rem ipso conceptu representatam per se primò aut secundò manifestat, sed eius tantum exprimit signum materialiter sumptum, non autem formaliter, ut signum est. Nam, ut ait Philosophus, id quod significat nomen est ratio seu definitio quam solus cognoscit & concipit intellectus: cuius imperio cogitatiua vocem concipit, & appetitus cum vi mouente format extrinsecus. Et licet cogitatiua conceptum quandam rei singularis formare

possit verbo proportionale, ut ait S. Th. inf. q. 85. a. 2. ad 3. & quol. 5. q. 5. quia tñ rei quidditatem nō exprimit, ideò verbum proprie non est. Nec obstat singularia, quorum notitiam habet cogitatiua; quoniam in eorum quidditate clauduntur vniuersalia, ut species siue genus & differentia specifica; quorum notitiam non habet hæc sensitiua potentia.

Secundò considerandum est ex D. Th. supra q. 13. a. 6. & de verit. q. 4. a. 1. ad 10. nomina communia de Deo proprie dicta per prius à nobis imposita fuisse creaturis, quas prius cognoscimus, quā Deo: quamuis quo ad rem significatam per nomen prius de Deo dicantur, quàm de creaturis; quia à Deo huiusmodi perfectiones aut rationes formales in creaturas emanant. Prius enim intellectus absolute considerauit, exempli gratia, rationem ordinatiam & iudicatiuam in creatura rationali, & illi nomen imposuit sapientiæ: deinde per rationis discursum, similem & nobiliorem rationem in Deo, eamque eodem nomine nuncupauit: postremò tertio considerans rationem illam ordinatiam in creatura similitudinem habere proportionalem ad rationem ordinatiam in Deo existentem & ab ea dependere, tertiā quadam impositione nomen sapientiæ, quoad rationem illam ordinatiam primò in creatura, deinceps in Deo significauerat, imponit ad utramque simul significandam, ut similem proportionaliter; vel etiam ad eam, quæ in creatura est significandam, cum habitudine causalitatis exemplaris, efficientis aut finalis ad eā, quæ in Deo est: ut latè & perspicue declarat Ferrar. in 1. cont. gent. c. 34. Et idem ordo impositionis potest & debet concipi in nomine verbi dicto de verbo vocis & de conceptu mentis.

Ad RATIONES itaque Zumel. iam patet euidenter responsio. Falsum est enim verbum cogitatiue aut vocis imaginationem significare rem & conceptum; verbum autem exterius ex hoc ipso, quod manifestatiuum est interioris conceptus, formaliter & intrinsecè verbum est: & prius à nobis cognitum & nominatum, quàm verbum mentis. Et quamuis vox per extrinsecam hominum impositionem sit signum interni conceptus; hinc tamen non efficitur vocem non esse formaliter & intrinsecè verbum. Ex hoc enim quod aliquid est signum expressiuum ab extrinsecò efficienter, non sequitur illud esse signum expressiuum ab extrinsecò formaliter; sicut domus habitatio est hominibus apta ab extrinsecò effectiue, non tamen ab extrinsecò formaliter, sed ab intrinsecò; & aqua caliditatem suscipit ab extrinsecò, & tamen in se ipsa formaliter est calida: sic igitur in proposito vox ab extrinsecà hominum impositione, ut ab efficiente verbum est: sed tamen in se ipsa formaliter & intrinsecè rationem habet verbi, sicut & expressiuum.

Ad argumenta verò Vasc. dico primò verbum dici proprie. i. non metaphoricè de tribus illis acceptionibus verbi, & consequenter etiam de verbo cogitatiue: nec tamen inde sequitur; ergo verbum cogitatiue proprie formaliter & intrinsecè verbum est; sicut non sequitur medicina proprie. i. non metaphoricè sana est; ergo est proprie. i. formaliter & intrinsecè sana. Et licet non conuenit cogitatiue proprie, i. formaliter verbum, ita nec loquutio. Dico secundò falso imponi Cai. quod dixerit ideò vocem externam dici proprie verbum, quia natura sine libera impositione sit verbum: cum nihil simile sonent eius verba.

Ad primum autem argumentum Molinæ, si de re, siue de ratione verbi sit sermo, nego consequen-

tiū;

tia; fuit enim ab aeterno in Deo verè & propriè res & ratio illa, quæ verbum est; si verò de nominis impositione loquatur; hoc est, quod diximus cum D. Thom. Ad secundum autem negatur sequela. Ad probationem negatur minor; magis enim præcipue dicitur videre de actu intellectus, quam de actu oculi.

SECUNDA CONTROVERSIA.

An verbum aliquo modo dicatur essentialiter in diuinis?

Sententia
Dottorum.

QVAESTIO hæc licet sit absolute propoſita, præcipue tamen est de mente S. Thom. Queritur ergo primo an secundum veritatem verbum in diuinis possit aliquo modo dici essentialiter, deinde etiam principaliter queritur, quid in hac re fenserit S. Th. Obseruandum est primò vt inquit S. Th. in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. questionem hanc parum valere: quia non est de re, sed de vocis significatione, quæ est ad placitum. Vnde in ea plurimum valet vsus; quia nominibus vtendum est vt plures.

Durandus in 1. dist. 27. q. 3. sentit verbum in Deo ex vi suæ significationis dicere aliquid essentialiter & non personale, & solum per quandam appropriationem dici de filio; quam appropriationem docet fieri secundum quandam analogiam & proportionem; quæ sententia sequitur ex alia eius falsa opinione, quod secunda persona in diuinis non procedat per actum intellectus, sed per actum naturæ; de qua supra abundè egimus.

Caiet.

Caiet. super hoc a. de mente S. Tho. docet primò verbum personaliter dici, & nullo modo essentialiter. Secundo S. Tho. in hac dubitatione paulatim ad veritatis perfectionem peruenisse. Nam in 1. (inquit) secutus est illorum opinionem, qui verbi nomen, sicut amoris nomen considerantes, quandoque essentialiter, quandoque personale dixerunt; sed postea in quest. de ver. declinavit in alteram partem, scilicet quod dicitur personaliter, non tamen absq; formidine alterius; quod ex eo patet, quod respondet rationibus ad vtramq; partem. At in hoc a. negauit omnino verbum essentialiter dici, vt patet ex ipsa conclusione articuli, & eius ratione superius allata, per quam rationem excluditur omne essentialiter a ratione verbi: quoniam in nullius essentialis ratione clauditur, siue intrinsece, siue vt necessario concomitans, quod ab alio procedat: quod tamen in dicta ratione assumit S. Thom. claudere in ratione conceptionis & verbi.

Hanc sententiam sequitur Molina & Zumel. super hoc art. Suarez lib. 9. cap. 3. Vasq. & Ripa. Addit autem Zumel. D. Tho. in sententijs existimasse actum intelligendi & cognitionem mentis posse dici verbum: atq; ideo credidisse verbum aliquando dici essentialiter in diuinis. Sed D. Tho. nunquam in ea sententia fuisse patet ex ijs, quæ supra diximus quest. 27. art. 1. de distinctione verbi ab intelligere.

At Capr. in 1. dist. 27. q. 2. conc. 4. & author tabulæ aureæ dub. 1160. & 1161. & Syluester super hoc art. & Ferr. 4. cont. gent. cap. 13. & Porrecta super hoc ar. affirmant verbum de mente S. Thom. propriè acceptum dici in diuinis tantum personaliter, sed communiter sumptum dici etiam essentialiter; quæ tamen acceptio propria est; id est nò metaphorica; & hanc semper fuisse mentem S. Thom. Quæ sententia, quoniam videtur veritatem attingere, ideo à nobis est amplectenda, & explicanda.

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

AD CUIVS euidentiam notandum est primò ex D. Th. in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. & de verit. q. 4. ar. 2. quod verbo propriè dicto conueniunt quatuor. Primum est, vt sit aliquid expressum à notitia mentis. Secundum quod sequitur ex primo est, vt dicat relationem realem originis ad dicentem; quæ duo probat hic latè Zumel. conclus. 4. Tertium est, quod sit manifestatum rei intellectu. Quartum est, quod sit intellectum scilicet ad intra. Igitur in verbo diuino propriè dicto reperiuntur hæc omnia, vt patet ex his, quæ diximus cum D. Th. in q. 27. & 28. In essentia autem diuina respectu diuini intellectus sunt secundum rem duo postrema, vt patet ex dictis in q. 14. & 15. Duo verò priora non sunt in essentia diuina simpliciter, sed tantum secundum quid, scilicet secundum rationem; nam intelligimus diuinam essentiam vt obiectum diuino intellectui ad ipsum referri tanquam obiectum, & terminum intrinsecum ad ipsam potentiam; quæ relatio non est nisi rationis: quoniam in Deo essentia non distinguitur ab intellectu; & eadem ratione intelligimus eandem essentiam quam emanantem in esse intelligibili per actum intellectus, cuius est terminus intrinsecus, vt docet S. Th. de verit. vbi supra. Sed quia, vt ibidè inquit S. Th. si aliquid eorū, quæ sunt de ratione alicuius, auferatur, iā nò erit propria acceptio: ideo essentia non dicitur verbum secundum propriam verbi acceptionem, sed tantum communiter. Et quoniam, vt eodem loco docet S. Th. & in 1. in vsu Sanctorum & communiter loquentium est, vt hoc nomen verbum relationem realiter distinguentem importet; Vt enim ait idè Aug. 7. de Trin. c. 2. verbum est quod sapientia genita; nominibus autem vtendum est vt plures; quia secundum Philosophū, vsus maxime est emulandus in significationibus nominū: ideo magis dicendum est, quod verbum personaliter dicatur, quam quod dicatur essentialiter. Nam, vt docet Magister in 3. dist. 14. quæ in diuinis dicuntur, non sunt extendenda nisi quatenus sacra scriptura eis vtitur; constat autem sacram scripturam non vti nomine verbi propriè dicti nisi personaliter. Loca sacra scriptura profert Zumel. dist. 1. concl. 1. & 2.

B Secundo considerandum est ex D. Tho. in 1. cont. gent. cap. 53. intellectum nostrum, per intentionem intellectam quam format, similem esse rei cognita; & illam intelligere; intellectum autem diuinum nulla alia specie intelligere, quam sit essentia sua, quæ est similitudo omnium rerum. Vnde statim infert S. Tho. Per hoc ergo sequitur, quod conceptio intellectus diuini, prout semetipsum intelligit, quæ est verbum ipsum, non solum sit similitudo ipsius Dei intellecti, sed etiam omnium, quorum est diuina essentia similitudo. Sic igitur per vnā specie intelligibilem, quæ est diuina essentia, & per vnā intentionem intellectam, quæ est verbum diuinum, multa possunt à Deo intelligi. Hæc D. Thom. Vbi manifestè diuinam essentiam, quatenus est similitudo omnium obiectiua, nuncupat verbum, quod est sumere verbum essentialiter. Cum enim ait à Deo per verbum multa intelligi; nomine verbi non intelligitur persona procedens; alioquin Pater per Filium intelligeret, & esset sapiens Filius & sapientia genita; quod passim negant Aug. D. Tho. & Magister & omnes Scholastici. Vnde etiam Ferrariens. ibidem notat non accipi verbum eo loco, vt est secunda persona in diuinis; cum nòdum de Trinitate mentio facta fuerit; & ibidem cum Philosophis disputat S. Th. contra quos nihil valeret huiusmodi declaratio. Ait ergo Ferr. eo loco per verbum intelligi id, ad quod

P

imme-

Resolutio.
Ex doctrina
S. Th. probatur
verbum com-
muniter ac-
ceptum es-
sentialiter
dici in diu-
inis.

immediatè terminatur actus intelligendi, siue sit aliquid realiter distinctum à re intellecta, siue sit res intellecta, ut est intellecta; essentia namque diuina ut intellecta est rerum omnium similitudo; & Deus eam intelligendo, intelligit illam, ut omnium similitudinem; atque ita multa intelligit.

*Differentia
verbi crea-
ti, & in-
creati.*

Tertio observandum est maximam esse differentiam inter verbum creatum & verbum increatum quod ad hoc, quod est concurrere ad actum intellectionis. Nam verbum creatum habet duo: Primum est, quod est omnino necessarium ad intelligendum, tanquam intrinsecus terminus intellectionis. Secundum, quod est id, quo intellectus formaliter intelligit, & quo intellectus constituitur in hoc, quod est esse perfectè ipsū intelligibile. Quæ duo aut nullo modo conueniunt verbo diuino propriè dicto, aut nō conueniunt ei ratione suæ proprietatis constitutiue in esse verbi personaliter dicti. Nam quia Pater æternus præsentem habet suam essentiam, non tantum in esse naturali, sed etiam in esse intelligibili, tanquam adæquatum obiectum, non tantum quo, sed etiam quod, & in quo omnia contemplatur; sequitur primam conditionem verbo diuino non conuenire, sed diuinæ essentia. Præterea ut ait S. Th. in i. vbi supra ad 4. Nullo modo concedendum est, quod Pater intelligat Filio, vel quod intelligat in Filio, sicut in obiecto, vel specie, quæ cognoscitur; quia hoc poneret filium habere aliquam rationem principij ad patrem. Vnde etiam S. Aug. retractat hanc propositionem: Pater est sapiens sapientia genita; constat autem quod idem est sapere & intelligere; igitur si pater non est sapiens sapientia genita, non est etiam intelligens sapientia genita, id est verbo per generationem procedente. Ex quo patet quod verbo diuino non conuenit secunda conditio verbi creati.

*Conuenien-
tia verbi
creati, &
increati.*

Conuenientiam & differentiam multiplicem verbi creati & increati diligenter tradit Suarez lib. 9. de Trin. cap. 2. num. 13. & 14. Aduerte tamen quartam differentiam ab eo assignatam non esse veram nec conformem doctrinæ D. Th. Nihilominus, si prædictas conditiones volumus diuino verbo conuenire, distinguendum erit, quod in verbo diuino duo sunt; entitas representatiua, quæ est essentia, quæ est idem cum patre; & proprietas relatiua, quæ ad patrem refertur, & in suo esse personali constituitur. Et rursus essentia filij potest dupliciter considerari: vno modo prout est in filio: alio modo secundum se secluso ordine ad filiationem & ad reliqua notionalia. Quibus præmissis dici potest verbum diuinum esse rationem intelligendi patri; non ratione proprietatis relatiuæ sed ratione essentia; nō prout est in filio sed sū se consideratæ. Et idem dicendum est de alia conditione. Nam etiam verbum creatum habet, quod sit ratio intelligendi ratione identitatis specificæ cū specie impressa & cum obiecto; non aut ut habet relationem producti & distincti ab intelligente. Vel dicendum est, quod illæ duæ conditiones non sunt necessariae, sed tantum procedere ab alio & esse manifestatiuum, quod conuenit etiam verbo diuino ut verbum est; quia ut sic includit essentiam. Vnde S. Tho. in præallegato loco subdit; Sed tamen concedendum est, quod Pater intelligit in Filio, & se ipsum, & alia, inquantum videt filium esse similitudinem suam, & omnium aliorum; sicut principium videtur in eo, cuius est principium, licet etiam in se ipso videatur. Possum enim videre hominem in imagine sua, quāuis ipsum etiam per se videam.

Conclusio.

PRIMA CONCL. Verbum in diuinis propriè di-

citatur tantum personaliter. Hæc est conclusio D. Thom. in hoc a. quam multis argumentis in prima sua disputatione probant Zumel. & Suar. lib. 9. de Trinit. cap. 3.

SECUNDA CONCL. Verbum in diuinis communiter acceptum dicitur essentialiter. Hanc conclusionem declarant & probant ea omnia, quæ supra notauimus in tribus fundamentis huius controuersiæ.

CONTRA primam concl. sunt argumenta, quæ proponunt hic & soluant Cai. Ban. & Zumel. disp. 1. §. Argumenta omnia, & §. Sed circa contro-

*Argumenta
soluuntur.*

CONTRA secundam concl. militat ea omnia argumenta, quæ produci solent & possunt pro prima conclusione, quæ nihil aliud concludunt nisi verbum in diuinis propriè sumptum personaliter tantum dici.

Contra vtramque concl. sunt argumenta, quæ producit & soluit S. Th. in i. & in q. de veritate.

CONTRA id, quod supradictum est, nimirum, verbum diuinum esse rationem intelligendi Patri ratione essentia; non prout est in filio, sed secundum se consideratæ, est hoc argumentum.

Verbum diuinum eo modo est ratio intelligendi Patri, quo includit essentiam; sed verbum diuinum includit essentiam, prout est in ipso verbo, & non ut absolute tantum consideratur; ergo verbum diuinum est ratio intelligendi patri ratione essentia; prout est in ipso verbo. Maior est evidens; nam alioquin non posset dici verbum esse rationem intelligendi patri, si nec ratione suæ proprietatis, nec ratione alicuius inclusi esset ei ratio intelligendi; oportet enim rationem agendi intimè claudi in eo, quod est agendi ratio: non minus, quàm formam in agente, cuius est agendi ratio. Minor autem est per se nota; implicat enim aliquid in aliquo claudi, & ut sic in eo non esse. Resp. maiorem dupliciter intelligi posse. Vno modo in sensu formali, ut scilicet verbum diuinum sit eo modo ratio intelligendi, quo includit essentiam ut ad eius constitutionem & rationem formalem & propriam pertinentem: sicut supra diximus in q. 28. a. 2. in integro conceptu diuinæ filiationis & filij essentiam includi, sicut in conceptu filiationis creatæ includitur accidens; & hoc modo falsa est illa maior propositio: sic enim Pater intelligeret verbo & filio à se producto, & esset sapiens sapientia genita; essentia enim prout etiam in filio propria est, ut affirmat Caiet. infra q. 42. Alio modo potest illa maior intelligi materialiter & identicè tantum, ut sit sensus: verbum diuinum eo modo est ratio intelligendi patri, quo includit essentiam realiter & identicè, id est, quo idem est realiter quod essentia; & sic verissima est propositio: sic enim tota ratio siue causalitas formalis, eo modo quo hic inuenitur, ad essentiam transfertur; & significatur essentiam ipsam diuinam secundum se esse rationem intelligendi patri, ut ante diximus.

Circa rationem aduersus Origenem & Arrianos allatam in respons. ad 1. argum. quæ probat necessarium esse in Deo ponere verbum propriè & personaliter dictum, si ponatur verbum Dei metaphorice dictum, dubitatio occurrit; quoniam ex hoc quod verbum metaphorice dictum manifestat verbum, aut manifestatur verbo, nihil aliud sequitur nisi ponendum esse in Deo verbum propriè, id est non metaphorice dictum, quod manifestet aut manifestetur verbo metaphorice dicto: hoc autem satis est esse verbum essentialiter, quod communiter dicitur verbum: hoc enim sufficit ad mani-

Obi.

Solut.

Solut.
verbi me-
taphorice
quomodo
inferas ver-
bi proprie.

manifestationem omnem tam actiue, quam pas-
siue sumptam; non igitur necesse est, vt ait S.
Tho. ex hoc, quod ponitur verbum Dei meta-
phorice, poni in Deo verbum proprie, vt di-
stinguitur contra communiter, quod scilicet sit
verbum personaliter dictum. *Resp.* primò ratio-
nem D. Thom. non esse demonstratiuam sed
probabilem. Nec obstat modus loquendi, cum
ait: sed necesse est si ponitur &c. hæc enim ne-
cessitas ad verbum proprie, id est non metapho-
ricè dictum refertur: siue illud sit personale si-
ue essentialiter. Sed quia de facto manifestatio
hec verbi metaphoricè dicti refertur ad verbum
personaliter dictum; idè in fine responsionis
deducitur, oportere in Deo poni verbum pro-
priè dictum, quod personaliter dicatur; & huic
consonat notatio Caiet. dicentis discursum huc
nō tenere gratia formæ, sed gratia materiæ. Vn-
de potest secundò dici rationem hanc esse neces-
sariam gratia materiæ, non gratia formæ. Ter-
tiò dici potest D. Th. loqui de verbo, quod sim-
plicitè hoc est sine addito siue absque conditio-
ne diminuente verbum est; sequitur enim, si ver-
bum metaphoricè ponitur, quod scilicet mani-
festetur verbum simplicitè dictum, aut manife-
stetur verbo simplicitè dicto, esse in Deo ver-
bum simplicitè dictum: hoc autem est verbum
personale. Nam vt supra diximus cum D. Th.
si aliquid eorum quæ sunt de ratione alicuius
auferatur, non erit propria acceptio. Cum ita-
que verbo essentialiter dicto desint aliqua, quæ
sunt de ratione verbi intrinsicè sumpti: verbum es-
sentialiter dictum non erit proprie, id est stricte
& simplicitè verbum, sed tantū secundum quid
siue communiter.

DISPUTANT hic recentiores in responsio-
ne ad tertium, an dicere sit notionale tantum vel e-
tiam essentialiter? & probant esse tantum notionale.
Videndi sunt Zumel. & Vas. De hoc nos plura
diximus *supra* q. 27. a. 1. in 3. contr. & alibi. Quæ-
dam alia versat hic Zumel. *disp.* 2. de quibus in
eadem quaest. disputauimus in dicta controuer-
sia.

Videnda sunt etiam, quæ notat Caiet. *super*
hoc a. & q. 14. a. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrum verbum sit proprium nomen
Filij.

190.
1. dij. 27. q.
2. Et veri.
q. 4. a. 3. &
op. 1. c. 11.
AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod ver-
bum non sit proprium nomen filij. Filius enim
est persona subsistens in diuinis. Sed verbum non si-
gnificat rem subsistentem, vt in nobis patet. Ergo
verbum non potest esse proprium nomen persona
filij.

Lib de he-
resib. c. 11. hæresib.
2. Præterea. Verbum prolatione quadam proce-
dit à dicente: si ergo filius est proprie verbum,
non procedit à patre, nisi per modum prolationis.
Quod est hæresis Valentini, vt patet per Aug. * *lib. de*

tom. 6.
3. Præterea. Omne nomen proprium alicuius per-
sonæ significat proprietatem aliquam eius. Si igitur
verbum sit proprium nomen filij, significabit ali-
quam proprietatem eius: & sic erunt plures pro-
prietates in diuinis, quam supra enumerata
sunt c.

153.
4. Præterea. Quicumque intelligit, intelligendo
concepit verbum. Sed filius intelligit. Ergo filij est a-
liquod verbum. Et sic non est proprium filij, esse ver-
* *Lib. 5. cō. bum. †*

5. Præterea. Heb. 1. dicitur de filio: Portans om-
nia verbo virtutis sua. Ex quo Basilius † accipit, quod
Spiritus sanctus sit verbum filij. Non est ergo proprium
filij, esse verbum.

† Lib 6 de
tr. c. 2. 19 ff.
tem. 3.
Sed contra est, quod Augustinus dicit * 6. de Trini-
tate. Verbum solus filius accipitur.

87.
Li. 1. orib.
fd. c. 18 non
procul à fi.
Respon. Dicendum, quod verbum proprie dictum
in diuinis, personaliter accipitur, & est proprium no-
men persone filij. significat enim quandam emanatio-
nem intellectus. Persona autem, qua procedit in diui-
nis secundum emanationem intellectus, dicitur filius,
& huiusmodi processio dicitur generatio, vt supra * 0-
stensum est. Vnde relinquatur, quod solus filius proprie
dicatur verbum in diuinis.

87.
Ad Primum ergo dicendum, quod in nobis non est
idem esse, & intelligere. Vnde illud, quod habet in no-
bis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram:
sed esse Dei est ipsum eius intelligere. c. Vnde verbum
Dei non est aliquod accidens in ipso, vel aliquis esse-
ctus eius, sed pertinet ad ipsam naturam eius: & ideo
oportet, quod sit aliquid subsistens. Quia quicquid est
in natura Dei, subsistit. & ideo Damascenus dicit, *
quod verbum Dei est substantiale, & hypostasi ens.
Reliqua verò verba, scilicet nostra, virtutes sunt ani-
mæ.

Ad Secundum dicendum, quod non propter hoc er-
ror Valentini est damnatus, quia filium dixit prolatione
natum, vt Arriani calumniabantur, sicut Hilarius
refert * sexto de Trinitate. sed propter varium mo-
dum prolationis, quem posuit, sicut patet per Aug. * in
lib. de hæresibus.

Li 6 de tri.
non remota
apinc. Lo-
co in arg. ci-
tato.
Ad Tertium dicendum, quod in nomine verbi ea-
dem proprietate importatur, quæ in nomine filij. Vnde
dicit Augustinus. Eo dicitur verbum quo filius. Ipsa enim
natura filij, quæ est proprietate personalis eius, di-
uersis nominibus significatur: quæ filio attribuitur
ad exprimendum diuersimodè perfectionem eius. nam,
vt ostendatur conuenerat alii patri, dicitur filius: vt o-
stendatur coeternus, dicitur splendor: vt ostendatur
omnino similis, dicitur imago: vt ostendatur immate-
rialiter genitus, dicitur verbum. Non autem potuit v-
num nomen inueniri, per quod omnia ista designaren-
tur.

8
4. 17.
Q. 14. art. 2.
8. 4.
Ad Quartum dicendum, quod eo modo conuenit fi-
lius esse intelligentem, quo conuenit ei esse Deum, cum
intelligere essentialiter dicatur in diuinis, * vt dictum
est. est autem filius Deus genitus, non autem generans
Deus. vnde est quidem intelligens, non vt produ-
cens verbum, sed vt verbum procedens, prout scilicet in Deo
verbum procedens secundum rem non differt ab intel-
lectu diuino, sed relatione sola distinguitur à principio
verbi.

Glosa inter-
loc. aru. i-
bidem.
Ad quintum dicendum, quod cum de filio dicitur,
Portans omnia verbo virtutis sua, verbum figurate
accipitur pro effectu verbi. Vnde * glo. ibi dicit, quod
verbum sumitur pro imperio, in quantum scilicet ex
effectu virtutis verbi est, quod res conseruentur in es-
se, sicut ex effectu virtutis verbi est, quod res produ-
cantur in esse. Quod verò Basilius interpretatur ver-
bum pro Spiritu sancto, improprie, & figurate lo-
cutus est, prout verbum alicuius dici potest, omne
illud quod est manifestatiuum eius, vt sic ea ratio-
ne dicatur Spiritus sanctus verbum filij, quia mani-
festat filium.

Sensus quaesiti.

ADVERTIT hic Cai. dictionem illam pro-
prium, distingui contra commune & con-
tra extraneum, id est adiacens per modum acci-
dentis; quemadmodum Petrus nomen est prin-
cipis Apostolorum: significat enim eius sub-
stantiam: Bariona verò, id est filius Ionæ &
P 2 amo.

Censura
Vasquezij.

Defensio.

amore feruens; propria non sunt eius nomina; cum non significant eius substantiam, sed adiacentia quadam eidem accidentia. Sensus ergo est, ut ait Caiet. vtrum verbi nomen in diuinis soli filio conueniat, vt eius personalis proprietas, id est forma personae constitutiuia. Quam expositionem reprehendit Vasq. dicens secundam in Trinitate personam, etsi non tantum sit propriè verbum id est sola sit verbum, sed etiam propriè id est non metaphoricè, & propriè id est non ab extrinseco, sed suapte natura & characterè; nihilominus S. Th. de his duobus posterioribus modis nihil curare, licet (inquit) oppositum falsò existimet Caiet. in a. 2. quæst. præcedentis refutatus. Sed quemadmodum in illius quæstioni explicatione demonstrauimus sensum illum legitimum esse, quem Caiet. expressit: sic & multò facilis veram esse prædictam nostri Caiet. expositionem ostendimus. Nam conclusio & eius probatio inferius adducenda paulò attentius considerata, triplicem illum vocis proprii, sensum admittit: immò & necessariò claudit. Et præterea primum & tertium argumentum, ac eorum responsiones agunt de proprio, quatenus distinguitur ab extraneo; postremum autem & eius responsio proprium examinat, non solum vt distinguitur contra commune, sed etiam vt est à metaphorico separatum.

Dicunt quidam primam proprii intelligentiam continere postremam, sicut inferius continet superius; quia omne proprium contra commune est proprium contra extraneum; quod omnino falsum est; nā risibile est homini propriū id est non commune, & tamen extraneum est id est non substantiale.

Forma Textus.

CONCL. Verbum propriè dictum in diuinis personaliter accipitur, & est proprium nomen filij. Probatur. Verbum propriè dictum in diuinis significat quandam emanationem intellectus. At persona, quæ procedit in diuinis, secundum emanationem intellectus dicitur filius & eius processio dicitur generatio; ergo solus filius propriè dicitur verbum in diuinis. Maior & minor patent ex supra dictis in quæst. 27. art. 1. & 2.

Expositio Textus.

Vim huius discursus subtiliter explicat Caiet.

Responsio ad primum argum. explicata fuit supra q. 27. a. 2.

Secundum autem argumentum, & eius responsio quo ad hæresim Valentini explicatur hic à Vasq. prædictam hæresim ex Patribus distinctè referente.

Quintum autem argumentum & eius responsio perspicuè declarantur à D. Th. de verit. q. 4. a. 3. & à Vasq. super hoc a. & Suar. lib. 9. de Trinit. c. 1. nu. 11. qui planius explicat Apostoli verba Heb. 1. Portans omnia verbo virtutis sue.

ARTICVLVS TERTIVS

Vtrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturam.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod in nomine verbi non importetur respectus ad creaturam. Omne enim nomen connotans effectum in creatura, essentialiter in diuinis dicitur; sed verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter, ut dictum est: ergo verbum non importat respectum ad creaturam.

2. Præterea. Quæ importat respectum ad creaturas, di-

cuntur de Deo ex tempore, vt Dominus, & creator: sed in quæst. verbum dicitur de Deo ab æterno. Ergo non importat respectum ad creaturam.

3. Præterea. Verbum importat respectum ad id à quo procedit: si ergo importat respectum ad creaturam, sequitur, quod procedat à creatura.

4. Præterea. Ideæ sunt plures secundum diuersos respectus ad creaturas. Si igitur verbum importat respectum ad creaturas, sequitur, quod in Deo non sit vnum verbum tantum, sed plura.

5. Præterea. Si verbum importat respectum ad creaturam, hoc non est nisi in quantum creatura cognoscitur à Deo. sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia. Ergo in verbo importatur respectus ad non entia, quod videtur falsum.

Sed contra est, quod dicit Aug. * in lib. 83. quæstionum, quod in nomine verbi significatur non solum respectus ad patrem, sed etiam ad illa quæ per verbum facta sunt operatiua potentia.

Resp. Dicendum, quod in verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est representatiuum omnis eius, quod actu intelligitur. Vnde in nobis sunt diuersa verba, secundum diuersa, quæ intelligimus. Sed quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum verbum eius est expressiuum, non solum patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua, & factiua: eia verbum Dei, eius quod in Deo patre est, est expressiuum tantum: creaturarum vero est expressiuum, & operatiuum; & propter hoc dicitur in Psal. 32. Dixit & facta sunt, quia importatur in verbo ratio factiua eorum, quæ Deus facit.

Ad Primum ergo dicendum, quod in nomine persone includitur etiam natura oblique. & Nam persona est rationalis nature individua substantia: in nomine igitur persona diuine quantum ad relationem personalem non importatur respectus ad creaturam, sed importatur in eo quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet, in quantum includitur in significatione eius essentia, quod importetur respectus ad creaturam. Sicut enim proprium est filio quod sit filius: ita propriū est ei, quod sit genitus Deus, vel genitus creator. & per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine verbi.

Ad Secundum dicendum, quod cum relationes consequantur actiones, quedam nomina important relationem Dei ad creaturam, quæ consequuntur actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, sicut creare & gubernare, & talia dicuntur de Deo ex tempore. & Quadam verò relatio est, quæ consequitur actionem non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, vt scire, & velle, & talia non dicuntur de Deo ex tempore: & huiusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine verbi. nec est verum, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas omnia dicantur ex tempore, sed sola illa nomina, quæ importat relationem consequentem actionem Dei in exteriore effectum transeuntem, ex tempore dicuntur.

Ad Tertium dicendum, quod creatura non cognoscitur à Deo per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Vnde non oportet quod à creatura procedat verbum, licet verbū sit expressiuum creaturarum.

Ad Quartum dicendum, quod nomen Ideæ, principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam. Et Ideo pluraliter dicitur in diuinis, & nequæ est personale. Sed nomen verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas, in quantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam. Et propter hoc in diuinis est vnicum tantum verbum & personaliter dictum.

Ad Quintum.

19.
1. diff. 27. q.
2. art. 2. Et
ver. q. 4. a.
3. & quod.
4. q. 4. a. 1.
ad 5.
7. art. 1. hu-

Lib. 83. quæ.
1. 63. to. 4.

95.

172.

74.

94.

97.

97.

lib. 15. de
ori. c. 14. pa-
rum à prin-
cip. rom. 3.
98.

Ad Quintum dicendum, quod eo modo quo scientia Dei est non entium, & verbum Dei est non entium, quia non est aliquid minus in verbo Dei quam in scientia Dei, ut Aug. dicit. Sed tamen verbum est entium, ut expressum & factum, non entium autem ut expressum & manifestatum, &c.

Sensus quaesiti.

HIC QVAERITVR secundarium significatum, siue connotatum huius nominis verbum, prout de Deo dicitur; hic vero est respectus ad creaturas. In quo quaesito duo sunt obseruanda. Primum est, hic non quaeri vtrum res quae est verbum, nimirum secunda persona Trinitatis, respiciat creaturas! sed, vtrum res illa diuina, ut verbi nomine significatur, respiciat creaturas, quas non respicit, ut significatur nomine filij, aut imaginis? Secundum est, hic S. Tho. loqui de verbo, ut est perfecta similitudo expressa diuinæ essentiae, & consequenter secundum omnia in ea quocunque modo contenta; quod est loqui de verbo quo ad eius totale significatum; de quo infra in responsione ad quartum.

Forma Textus.

AD QVAESITVM respondet S. Thom. tribus conclusionibus gradatim ordinatis, secundum maiorem communitatem.

PRIMA quae est omnium communissima, talis est. In verbo importatur respectus ad creaturas. Probatur. Verbum mente conceptum est representatiuum omnis eius, quod actu intelligitur: sed Deus intelligendo se intelligit omnem creaturam; ergo in verbo importatur respectus representatiui ad omnem creaturam, tanquam representatam.

SECUNDA CONCL. Verbum Dei est expressum Patris, & creaturarum. Probatur ex eodem principio. Verbum Dei est representatiuum & expressiuum omnis eius, quod actu intelligitur; sed Deus vno actu se & omnia intelligit; ergo vnicum verbum eius est expressiuum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Maior probatur; quoniam in nobis sunt diuersa verba secundum diuersa quae intelligimus, ergo.

TERTIA CONCL. Verbum Dei eius, quod est in Deo Patre, est expressiuum tantum: creaturarum vero est expressiuum & operatiuum. Probatur dupliciter. Primo. Scientia Dei est Dei quidem cognitio tantum, creaturarum autem cognitio tantum & factiua; ergo & verbum Dei, eius quod est in Patre &c. Secundo probatur auctoritate psalmi. 32. quo ad secundam partem: Dixit & facta sunt: quibus verbis significatur in verbo importari rationem factiua eorum, quae Deus facit.

Expositio Textus.

FERRAR. in 4. contra gent. cap. 13. §. Ad cuius euidentiam, luculenter explicat sensum & probationem secundae & tertiae conclusionis. Reliqua vero, quae ad huius litterae explicationem videntur esse necessaria, examinabuntur inferius in specialibus controuersijs.

In Responsi. ad 1. aduerte, essentiale adiunctum notionalis, prout scilicet eo notionali quodam modo modificatur & contrahitur, proprium esse personae, cuius est illud notionale. Nam, ut ait hic S. Doct. sicut proprium est filio, quod sit filius: ita proprium est ei, quod

sit Deus genitus vel creator genitus.

Circa. responsi. ad 4. ut intelligas, quomodo nomen idae sit impositum ad significandum respectum, vide quae supra diximus q. 15. a. 2. controu. unica, de formali significatione idae; ubi conciliauimus dicta D. Thom. Quibus adde, relationem ad creaturas non esse de intellectu, siue ratione formali verbi diuini; quod optime potest intelligi cum solo respectu ad per se primo obiectum, quod essentia.

Circa Responsionem ad quintum vide quae supra diximus q. 14. a. 9. in expositione litterae.

PRIMA CONTROVERSIA.

An verbum diuinum procedat ex cognitione essentiae, personarum & creaturarum: an autem ex cognitione solius essentiae?

PRIMA sententia est Scoti, quam referunt Cai. & alij S. Th. interpretes super hoc articulo, & explicat Rada contr. 11. Consistit autem in quatuor propositionibus hanc opinio. Prima eius propositio est: Verbum non producit de cognitione essentiae, nec ut principio quo, nec ut productione, sed immediate à memoria fecunda Patris per actum dicendi, cognitione aliqua non concurrente: licet cognitio essentiae diuinæ presupponatur. Ex quo deducit Rada falsò tribui Scoto à Cai. & alijs, quod asserat verbum produci de cognitione essentiae: fatetur tamen cum Ferrarienti in 4. contra gent. cap. 13. cum d. ci. mus verbum diuinum de scientia Patris originari, intelligendum esse, accipiendo scientiam Patris per modum actus primi, non autem per modum actus secundi; nec alium sensum Scoto tribuit Cai. Secunda eiusdem sententiae propositio. Cognitio diuinæ essentiae, non tamē creaturarum, praesupponitur productioni verbi: sed vtramque processionem scilicet verbi & amoris consequitur in Deo cognitio creaturarum; quoniam diuina essentia in ratione obiecti mouet primò diuinum intellectum ad cognitionem essentialem: secundò mouet ad dilectionem sui infinitam: tertio ad productionem notitiae genitae, quae est verbum: quarto ad productionem Spiritus S. vltimò ad cognitionem creaturae & productionem eius in esse cognito. Tertia eiusdem propositio; Esse obiectiui lapidis non praecedit cognitionem diuinā, sed per eam producit, quod esse obiectiui est esse diminutum & secundum quid, non reale sed rationis. Vltima propositio. Cognitio intuitiua diuinarum personarum ad proprias earum subsistentias terminata, non presupponitur ad verbi productionem: nec ex cognitione intuitiua nascitur, immò nec ex cognitione essentiae procedit: Quae singula dicta multis argumentis Rada confirmat, ex quibus nos inferius ea, quae Thomisticae veritati sunt aduersa diluimus.

His adde Scotum in 1. dist. 32. q. 1. ad vltimum affirmare verbum sic procedere de scientia solius essentiae, ut non procedat tanquam verbum personae, nisi concomitanter; quia scilicet coniuncta est essentiae necessario: & in 2. dist. 1. q. 1. a. 2. & quolib. 14. §. Hic intelligendum est, ait verbum procedere ex sola cognitione obiecti primarij. Et cum in 1. dist. 27. q. 3. dicat personas non pertinere ad primarium obiectum diuinæ visionis, sequitur de mente Scoti verbum non procedere ex cognitione diuinarum personarum formaliter. Eandem sententiam Scoti

P 3

qua

quo ad cognitionem creaturarum paulò subtilius explicat Vasquez *disp. 143. cap. 2.*

Valentia duo dicit. *Primum.* Verbum procedit ex cognitione omnium. *Secundum.* Verbum procedit ex cognitione creaturarum quo ad existentias. Quam sententiam ut probabilem sequitur quidam modernus Thomista in *defensionibus suis Theologicis super hoc art.*

Vasquez dicit quinque. *Primum.* Essentia & attributa comparantur cum verbo Dei, sicut principium illius non producat, sed intelligibile per modum obiecti: hoc est, per quorum cognitionem nostro modo intelligendi per se procedit. *Secundum.* Negari non potest verbum procedere per intuitivam cognitionem & scientiam, quæ circa duas personas, patris nimirum & ipsius verbi, tanquam circa obiectum per se necessarium versatur. *Tertium.* Spiritus S. nō potest comparari ut obiectum per se requisitum ad productionem verbi. *Quartum.* Spiritus S. procedit etiam amore sui, sicut verbum sui cognitione. *Quintum.* Verbum non procedit per cognitionem creaturarum formaliter, nec ad illius productionem ullo modo creaturæ se habent ut principium intelligibile, sed ex sola cognitione essentia & personarum iam dicta producit.

Suarez *lib. 9. de Tri. ca. 4. & seq.* suam sententiam explicat nouem propositionibus. *Prima.* Verbum procedit ex cognitione omnium absolutorum & attributorum quæ in Deo sunt formaliter. *Secunda.* Verbum diuinum per se procedit ex cognitione totius Trinitatis, omniumque relatiuorum simul cum absolutis. *Tertia.* Verbum procedit ex cognitione personarum primariò ex parte actus, secundariò autem ex parte obiecti. *Quarta.* Nullo modo admittendum est verbum esse principium suæ processionalis, aut Spiritus S. esse principium productionis verbi. *Quinta.* Paternitas in Patre non concurrat nostro modo intelligendi per modum obiecti motiui, seu speciei intelligibilis ad eam cognitionem, qua producit verbum. *Sexta.* Verbum procedit ex cognitione intuitiva omnium personarum. *Septima.* Verbum procedit ex scientia simplicis intelligentie creaturarum possibilem. *Octaua.* Verbum diuinum non procedit ex scientia creaturarum existentium ut sic, seu ex scientia visionis, aut libera vel contingente, ut talis est. *Nona.* Verbum diuinum non procedit ex scientia media.

Pesantius duo dicit. *Primum.* Verbum diuinum procedit non tantum ex cognitione essentie diuinæ, sed etiam ex cognitione diuinarum personarum. *Secundum.* Verbum diuinum non procedit ex cognitione naturali, aut libera creaturarum.

Ferrariensis in *4. cont. gent. cap. 13.* affirmat verbum Dei procedere de scientia diuinæ essentie, personarum & creaturarum: ita tamen ut prius secundum nostrum modum intelligendi actus diuini intellectus terminetur ad verbum tanquam eius productio, quam terminetur ad diuinam essentiam & ad creaturas, tanquam ad res intellectas.

Molina priorem partem admittit, posteriorem negat cum Valentia: & addit notitiam illam quam Pater habet in illo priori de Filio & Spiritu S. non esse abstractiuam & simplicis intelligentie sed visionis.

Zum *hic disp. 1.* quatuor dicit. *Primum.* Verbum ex vi suæ productionis procedit ex cognitione essentie & personarum & creaturarum omnium, quæ eminenter continentur in Deo. *Secundum.* Verbum diuinum procedit ex intuitiva cognitione es-

sentie diuinæ & personarum. *Tertium.* Quando dicitur, quod verbum diuinum procedit ex cognitione omnium creaturarum, intelligendum est non de scientia simplicis intelligentie. *Quartum.* Nullo modo dicendum est, quod verbum procedat à creaturis ut cognitis, quod idem affirmat Bannes, etiam loquendo, de personis.

D. Thom. *hic*, & expressius *a. 1. huius q. ad 3.* docet verbum Dei natum esse ex omnium cognitione, quæ sunt in scientia Patris, scilicet essentie, personarum & omnis alterius simplicis intelligentie, non autem visionis, ut exponit Caiet. addens Deum Patrem prius intelligere quicquid naturaliter relucet in diuina essentia, quam producat verbum: ita tamen ut verbum principaliter exprimat essentiam & secundariò creaturas: sicut Deus intelligit principaliter suam essentiam & secundariò creaturas, prout dictiones illæ *principaliter & secundariò* idē significant, quod in se & in alio. Nam creaturas intuetur Deus nō in seipsis primò sed in essentia sua; seipsum autē suæ suam essentiam intuetur in seipso. Sententiam hanc D. Tho. sequuntur Capr. in *1. dist. 27.* & alij Thomistæ communiter.

Sexta S. V. T. huius controuersie partes præcipuæ. *Prima* de cognitione obiectiva personarum in Deo procedentium, scilicet filij & Spiritus S. *Secunda* de modo cognitionis passivæ suæ obiectivæ duarum personarum scilicet filij & Spiritus S. an scilicet ea cognitio sit visionis aut simplicis intelligentie. *Tertia* de cognitione creaturarum. *Quarta* de eodem modo cognitionis quo ad creaturas. *Quinta* de ordine cognitionis & productionis verbi. *Postrema* de modo loquendi, an scilicet dici possit verbum procedere ex se ipso & Spiritu S. vel creaturis ut cognitis vel ut obiectis primarijs aut secundarijs, aut etiam ut principijs productionis. De quibus omnibus ita distinctè & ordinatè differendum est, ut ex singulorum veluti membrorum congrua dispositione, perfectum eius, quam institimus, controuersie corpus exurgat.

Cum duo sint in Deo formaliter existentia, nimirum absoluta & relatiua realia, siue sint personarum constitutiua siue distinctiua tantum, siue etiam ipsæ personæ diuinæ constitutæ; absoluta verò sint essentia & attributa; summa est Scholasticorum consensus verbum ex omnium absolutorum cognitione procedere; quamvis in modo loquendi videatur Scotus & eius discipuli à nobis dissentire. Cuius veritatis est præcipua ratio; quia primarium obiectum intelligentie diuinæ, qua verbum procedit, est ipsa diuinitas formaliter continens essentiam & attributa. Igitur necesse est productionem verbi diuini esse primariò ex cognitione essentie & attributorum. De paternitatis etiam siue Patris notitia nulla, nisi apud Scotum, potest esse dubitatio, quin ex ea sicut ex absolutorum intelligentia procedat verbum; quod etiam in textu perspicue docet S. D. De relationibus autem filiationis & processionalis, aut etiam de personis per eas constitutis, an scilicet ex earum cognitione procedat verbum, nonnulla dissensio est. Scotus enim vniuersaliter negat: Vasquez cum communi consensit, præterquam in relatione siue persona Spiritus S. de cuius notitia negat produci verbum.

Vtriusque tamen sententie falsitatem euidenter ostendit superius adducta ratio, qua probatur secunda conclusio; cuius efficacitatem indicat Caietā discurrens: Verbum per se & necessariò procedit non ex qualicunque cognitione deitatis siue

Resolutio.
Verbum procedit ex cognitione essentie & attributorum personarum, non solum prout est simplex intelligentie, sed etiam prout est visio.

siue essentia diuina, sed ex comprehensione A
eiusdem; at comprehensio deitatis notitiam in-
cludit essentia, personarum & omnis intelli-
gibilis, ergo &c. Maiorem relinquit vt notam
Minorem vero probat; quia essentia diuina for-
maliter & obiectiue comprehendit omne in-
telligibile. Deinde probatur ex supradictis q. 28.
ar. 2. contr. 1. ubi definitum est cum D. Thom. &
Caietan. diuinam essentiam & relationes illi
comparatas secundum se vniam esse rem & rati-
onem formalem simplicissimam, altiore rem re
absoluta & relatiua, & vtramque realiter & for-
maliter continentem. Sic igitur argumentor: Cog-
nitio rei comprehensua rem ipsam cognitam B
totaliter attingit, secundum omnem eius realita-
tem, modum & rationem formalem intrinsecam
& quidditativam; at relationes & personae per
eas constitutae secundum se pertinent ad vniam &
simplicissimam realitatem & rationem formalem
simplicissimam deitatis; igitur cognitio com-
prehensua deitatis notitiam includit essentia &
relationum subsistentium siue personarum.
Maior huius argumenti patet ex definitione
comprehensionis superius explicata q. 12. a. 7.
Minor probata est in dicta controuersia. Maior au-
tem principalis argumenti probatur primo ex
D. Th. & Aug. hic ad 4. & 5. Verbum Dei vnum
tantum est; nec aliquid minus est in verbo Dei,
igitur verbum Dei per se & necessario procedit C
ex cognitione comprehensua deitatis; alioquin
aliquid minus esset in verbo Dei, quam in scien-
tia Dei; nec verbum esset adequatum diuinae cog-
nitioni; nec esset vnum tantum sed plura. Secun-
do. Verbum Dei procedit ex cognitione perfe-
ctissima Patris; hac vero necessario est com-
prehensua; ergo &c. Tercio. Verbum ex vi paternae
cognitionis procedit simpliciter infinitum; er-
go per se & necessario procedit ex cognitione
comprehensua. Praeterea sic impugnatur opinio-
nes praedictae: Pater se ipsum cognoscit vt geni-
torem & spiratorem, & ex hac cognitione
producit verbum: at seipsum non potest vt D
genitorem & spiratorem cognoscere, nisi simul
cognoscat filium & Spiritum sanctum. ergo
&c. Et specialiter contra Vazq. argumentor.
Pater in eo signo quo verbum producit, cognos-
cit verbum non tantum vt verbum, sed etiam vt
spiratorem: ergo cognoscit etiam illius termi-
num, qui est Spiritus S. Antecedens probatur;
quia verbum non solum procedit vt verbum,
sed etiam vt spirator; at Pater in eo signo ver-
bum comprehendit; ergo cognoscit ipsum vt
spiratorem. Consequentia patet; quia spirator
relatiue dicitur ad spiratum: relatiua vero simul
sunt natura & cognitione. Sed miratur Vazq. haec
argumenta diluere, dicens cognitionem patris
non secundum omnem perfectionem realem
comparari cum filio, vt productionem illius, sed
secundum illam, quae respicit obiectum. & prin-
cipium per se filij vt filius est: talem autem non
esse cognitionem patris, quatenus ad spiritum
sanctum refertur, vel etiam ad spiratorem; qua-
uis filius vt spirator est, procedat per cognitio-
nem patris, prout terminatur ad notionem spi-
ratoris & ad personam Spiritus Sancti. Sed haec
E
solutio deficit multipliciter. Primo; quia eadem
ratione dici posset intellectionem patris esse fi-
lij productionem, quatenus est formaliter es-
sentia & attributorum cognitio; non autem vt
respicit patrem aut verbum. Quod vero sit ea-
dem ratio, probatur; quia eadem est omnino tri-
um personarum connexio cum essentia, tam in
ratione entis quam in ratione obiecti cognitio;

igitur Patris intellectio est verbi productio, pro-
ut respicit omnes aut nullam earum, sed solam
essentiam & attributa. Secundo: quia ordo ori-
ginis inter personas diuinas non attenditur nisi
pene hoc, quod vna est ab alia: non quia prius
natura sit vna aut intelligi debeat quam alia vt
etiam fatetur Vazq. ergo sicut Pater ex sui &
verbi cognitione generat verbum, ita etiam ex
cognitione spiratoris & Spiritus S. Tercio; quia
obiectum paterni intellectus est diuinitas prout
in se est iam autem diximus, diuinitatem prout
in se est, vnius esse rationis formalis indiuisibi-
lis intrinsece & quidditatiue continentis abso-
luta & relatiua: igitur ex horum omnium cog-
nitione per se & necessario procedit verbum: Vt
enim inferius ostendemus, cognitio Patris qua
verbum producit intuitiua est, ac proinde ob-
iecti rei cognitae prout in se est, & prout existi-
ter & non tantum obiectiue praesens est. Et quam-
uis Pater, secundum partialem aliquem concep-
tum siue concipiendi modum, prout scilicet in-
telligitur paternitate constitutus & nondum ex-
ercitatus relatus, intelligatur prior generatione fi-
lij, & consequenter ipsomet filio, & eadem rati-
one Pater & Filius intelligantur priores esse spi-
ritu S. vt ait S. Tho. infra q. 40. a. vlt. & explicat
Cai. 42. ar. 3. in respons. ad 2 nullus tamen est secun-
dum se siue realiter prioritatis ordo inter perso-
nas illas diuinas, aut earum processiones, & con-
sequenter nec obijciuntur paternae cognitioni;
igitur ex omnium simul cognitione procedit
verbum a Patre. Suarez loco allegato pluribus opi-
nionem hanc impugnat, & eius argumenta dissol-
uit. Zumel. in dicta disp. 1. multa producit argu-
menta pro nostra sententiae confirmatione.

SECUNDA controuersia pars modum obiecti-
uae cognitionis personarum inquit, an scili-
cet ea cognitio sit intuitiua an abstractiua, siue
an sit visionis aut simplicis intelligentiae. Cuius
dubitationis solutio perspicue patet ex dictis.
Nam si verbum procedit ex ea patris notitia qua
deitatem intelligit prout in se est eadem reali-
ter & formaliter cu relationibus & personis, quae
est intuitiua cognitio; necesse est verbum proce-
dere ex intuitiua cognitione essentiae & persona-
rum. Et quamuis nostro modo intelligendi sit
prius secundum rationem persona patris, quam
generatio filij; & verbi productio, quam ipiritus
sancti processio; nihilominus a parte rei nulla
diuinarum personarum est altera prior natura aut
cognitione; sed ordo tantum inter eas est origi-
nis, scilicet a quo alius & qui ab alio. Simul igitur
in eodem instanti naturae intuetur Pater essentia,
seipsum, verbum & Spiritum S. vt existentes, vna
& eadem indiuisibili existetia, & eadem cognitione
producit verbum; & per actum voluntatis spirat a-
morem, solo existente inter eos ordine originis.
Quod autem Patrem vt personam prius existen-
tem, & verbum quasi futurum intelligamus a
patre cognosci, nostri causa intellectus infirmi-
tas & imperfectus modus intelligendi diuinae;
qualibet enim persona secundum se necessario
est & essentialiter existens & idem realiter & for-
maliter cum essentia diuina, quae idem est reali-
ter & formaliter quod existentia trium persona-
rum; ac proinde non potest secundum se siue
perfecte & quidditatiue absque existentia sui &
trium personarum cognosci; igitur necessario
cognoscitur Patre intuitiue, prout scilicet ordi-
ne iam dicto est in tribus existens; quamuis ea
cognitio non intelligatur a nobis in illo priori,
vt actum terminata ad filium aut Spiritum S.
ante completam generationem, & processionem:

2. Pars
controuersia

Contra
Vazquez

Vazquez
responsio.

Confutatio.

sed concipiatur ut notitia visionis in fieri, & quasi attendens ad terminum siue terminos: sed hæc est (ut dixit) nostra mentis infirmitas.

3. Pars controuersie. Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, hoc ipso quod procedit ex comprehensione diuine essentiae.

TER TIA & quidem præcipua controuersie pars est: an verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilium. Ad cuius euidentiam recolenda sunt ea, quæ latè supra diximus qu. 14. art. 5. controuersia 1. de viso in se ipso & de viso in alio; & de modo quo diuina essentia se ipsam & creaturas representat. Ad rem verò præsentè illud præcipuè pertinet, nimirum, creaturas à Deo non in se ipsis obiectiue, sed in ipsa diuina essentia videri, ut in obiecto formali & adæquato, per eandem essentiam per se primò representato. Cognoscit itaque Deus se ipsum siue suam essentiam primò creaturas autem secundariò. Qua loquendi forma, ut ibidem aduertimus, nullus etiam secundum nostrum modum intelligendi significatur ordo, quasi plurius actuum in diuina cognitione, quorum vno prius attingatur diuina essentia, & altero posterius creatura: sed vnus & idem actus significatur, quo simul Deus videt essentiam & creaturas: illam in se ipsa, has autem in essentia; dicimusque diuinam cognitionem prius ad essentiam, posterius autem ad creaturas terminari, ita ut dictiones illæ, prius & posterius ordinem denotent rerum cognitarum, non autem actuum cognoscendi. Non enim potest Deus se ipsum perfectè siue comprehensiuè cognoscere nisi videat etiam creaturas eminenter in ipso comprehensas; alioquin non esset Deus ipsum esse per essentiam omnes essendi modos possibiles eminentissimè continens, igitur vna & eadem re & ratione perfectè cognitio Deum simul & creaturas attingit. Sed quia Deus in se ipso videtur ut primum obiectum: creatura verò in Deo representatur & cognoscitur ut obiectum secundariū in primario: idèò cōmuniter dicitur diuinæ cognitionis actū prius ad essentiam, & posterius ad creaturas terminari; nō solum quo ad illud esse diuinum, quo creatura dicuntur in Deo creatrices essentia: verum etiam quatenus effectus quidam sunt à Deo producibiles. Non potest enim haberi potentia perfectè cognitio siue cōprehensio, nisi simul eodem actu tota latitudo intelligatur obiecti. Igitur non posset Deus suam omnipotentiam perfectè cognoscere, nisi simul intelligeret possibiles creaturas in eius omnipotentia clausas.

Responsio Vasquezij.

Sed resp. Vasq. c. 6. Patris notitiam non ideo esse comprehensiuam, quia simul cognoscit creaturas: sed ex eo potius, quod comprehensiuæ est essentia, hoc habet (inquit) ut omnes creaturas possibiles cognoscere possit: non eodem gradu necessitatis & prioritatis cum ipsa essentia, sed cōsequenter & secundariò, sicut cū ipsa essentia cōparantur; sicut etiam ad rationem comprehensionis pertinet, ut Deus cognoscere possit decretum voluntatis suæ, & quæ in tēpore facere decreuit; nec tamen horum cognitio actualis requiritur, ut actu præcedat verbum; quia hæc multo posterius se habent quam verbi productio. Deinde ait omnipotentiam ut à nobis concipitur, intelligi non posse sine creaturis possibilibus; quia relatiue concipitur: sed quatenus (inquit) est in Deo est absoluta & comprehensiuè cognoscitur sine tali ordine & absque eo, quod actu cum ea intelligantur creatura; sic enim nihil aliud est quam ipse Deus in se absolute perfectus. Sed hæc

Confirmatio.

frivola sunt. Nam Patris notitia idèò comprehensiuæ est formaliter, quia simul primum obiectum in se ipso, quod est essentia, & creaturas in ea ut secundarium obiectum contempletur:

quamuis causaliter, ut quasi formali ratione siue principio comprehensiuæ dicatur diuina cognitio, eo quod diuinam comprehendat essentiam, ut potè quæ primum illius est obiectum, in quo videntur possibiles creaturae. Et si namque ratio tota diuinæ cognitionis sit essentia, quæ illam etiā adæquat, ut immediatus & per se primò terminus: hoc ipso tamen, quod sic essentia cognitionem adæquat, creaturas comprehendit in ipsa representatas; alioquin illius adæquatum aut per se primò non esset obiectum, sed latius extenderetur diuina cognitio, & creaturas æquè immediatè respiceret ut obiecta: & esset pluralitas & ordo actuum saltem secundum rationem intellectu diuino. Neque eadem aut similis est ratio de diuinæ voluntatis decreto, vel creaturis in tēpore producendis, quæ est de possibilibus: nam decretum diuinæ voluntatis & creatura per ipsum futuræ præintelliguntur à Deo cognita sub ratione possibilis per scientiam simplicis intelligentiæ: adèò ut sancito per voluntatē decreto creaturis in vniuerso productis, nulla diuinæ cognitioni fiat perfectionis accessio, sed quidam rationis tantum in ea concipiatur respectus ad eadem ut existentia, quæ prius obijciabantur ut possibilis. At in opinione Vasquezij, in hac parte Scotistæ; nulla prorsus supponitur in Deo creaturarum notitia: ac proinde concipitur tunc diuina cognitio ut nondum absolute perfectæ; cum verò deinceps fuerit ad creaturas extensa, debitum intelligentiæ accipere complementum: Et quamuis ut in Deo est omnipotentia cognosci aliqua ratione posset absque respectu ad creaturas possibiles, quod nec affirmo nec abnuo: qua ratione tamen in ea res ut fieri possibiles supereminenter continentur, absque earum cognitione comprehendi est impossibile; atque idèò vnicui actui paternæ mentis completo cognoscuntur essentia & creatura eoquæ procedit Verbum vniuersa cognita representans.

Alia plura minoris ponderis argumenta in huius veritatis confirmationem recentiores accumulunt & præsertim Zumel. disp. 1. concl. 3. Suarez in allegato 6. cap.

QUARTA pars controuersie dubitationem affert de modo cognitionis creaturarum, ex qua diximus verbum procedere: an scilicet ea scientia sit visionis siue intuitiva & libera: an simplicis intelligentiæ siue abstractiua & naturalis? Nam quidam modernus Thomista in defensionibus suis Theologicis ad summam D. Tho. vtramque partem sustinet ut probabilem. Communis tamen est antiquorum & recentiorum Thomistarum sententia verbum in Deo procedere ex sola simplicis intelligentiæ notitia creaturarum. Probatur hæc veritas. Primò: Verbum diuinum procedit tamen ex ea cognitione, quæ necessariò est in Deo: sed talis cognitio est simplicis intelligentiæ, non autem visionis; ergo, &c. Maior probatur, quia processio verbi est naturalissima & summè necessaria, pertinens ad infinitam & naturalem perfectionem deitatis, ut superius ostendimus. Minor verò probatur; quia scientia visionis præsupponit liberum diuinæ voluntatis decretum, de productione creaturarum in esse reali. Nec obstat responsio prædicti moderni dicentis visionem creaturarum quo ad entitatem esse necessariam, quo ad obiectum verò liberam: & quod obiectum illud, prout est in Deo ut quasi in specie intelligibili, præcedit seipsum in se, & verbum in se; loquimur enim de scientia libera formaliter ut libera est, non autem materialiter aut secundum entitatem tantum: obiectum autem scientiæ libe-

4. pars controuersie. Verbum non ex scientia visionis creaturarum, sed ex notitia simplicis intelligentiæ præcedere, quæ sola præcedit verbum. Ratio.

Responsio

Confirmatio.

libe-

tia libera, vt libera est, non prius intelligitur esse in Deo vt in specie intelligibili, quam in seipso aut quam sit verbum in se: quia obiectum visionis non est, nisi prout secundum actuale suam existentiam, ex libero diuinæ voluntatis decreto dependentem, in rerum natura terminat actum diuinæ cognitionis: quamuis priusquam existat in rerum natura, speciem habeat in Deo materialiter ipsum representantem, qua cognoscitur vt obiectum simplicis intelligentiæ per diuinam omnipotentiam producibile.

Ratio.

Ad huius evidentiam considerandum est, verbum diuinum ex vi suæ processionis habere, vt representet non solum creaturas possibiles, sed etiam futuras in quavis differentia temporis: non eadem tamen ratione siue modo verbum diuinum vi suæ processionis accipit à patre representatione rerum dumtaxat possibilem, & earum quæ futurae sunt. Nam illarum representationem formaliter accipit, harum verò scilicet futurarum, quamuis formaliter habeat, non accipit tamen vi suæ generationis, nisi fundamentaliter siue radicaliter: atque ideo non ex cognitione libera formaliter, sed materialiter tantum procedit in Deo verbum; sicut enim accipit verbum à patre virtutem spirandi formaliter, relationem autem spirationis actiue radicaliter: ita scientiam siue representationem naturalem formaliter, liberam verò radicaliter vi suæ processionis accipit à patre: quamuis habeat vtramque formaliter. Nam decreto diuinæ voluntatis emisso nulla in diuina cognitione aut verbi representatione facta mutatione aut addita perfectione, ex hoc ipso quod diuersum essendi modum recipiunt creaturæ scientia & representatio, quæ naturalis erat simpliciter, nouo rationis respectu fit libera, vt hic aduertit Zum. quem sequitur Suarez. Et eodem modo accipienda sunt, quæ pro hac eadem parte scribit Molina diss. unica in probatione 2. partis suæ conclusionis dicens Patrem non solum ea communicare filio, quæ generationem antecedunt, sed etiam ea, quæ in filio generationem consequuntur: vt spirare Spiritum S. creare & gubernare; Hac enim omnia non formaliter sed radicaliter tantum accipit à patre verbum vi suæ generationis: sicut etiam scientiam liberam creaturarum, vt ante diximus. Denique probatur eadem veritas: quia naturalia & necessaria liberis in Deo sunt ratione priora & subsistendi consequentia; processionales verò personarum in Deo maxime naturales ac summe necessariae sunt: decretum autem diuinæ voluntatis de rerum productione, quod est diuinæ scientiæ liberæ fundamentum, est omnino liberum; igitur prior est secundum modum intelligentiæ nostræ diuini verbi processio, quam liberum diuinæ voluntatis decretum: quod non communicatur à Patre formaliter verbo sub ratione decreti formaliter sed radicaliter siue materialiter tantum: sub ratione verò volitionis formaliter. Et ex his patet eorundem omnium confutatio, quæ modernus prædictus affert pro suæ sententiæ defensione.

Ratio.

S. pars con.

Ordo cognitionis ad verbum.

QUINTA pars controuersia est de ordine paternæ cognitionis ad verbi cognitionem: an. l. in patre sit prior verbi productio rerum cognitione, vel e contra. Cuius quæsti solutio perspicue patet ex dictis; nam si de rerum possibilem, essentia diuinæ, ac personarum notitia sermonem habeamus, præcedere cognitionem in patre necesse est, ex qua procedat verbum, vt ostendimus. Si verò de creaturarum cognitione loquamur, quatenus videntur vt existentes: præcedit necessario verbi productio modo nostro intel-

ligendi in re fundato. Non enim producit à patre verbum, vt in eo veluti in obiecto expressè representante cognoscantur omnia, vt Ferrar. existimat: sed ex infinitate procedit diuinæ fecunditatis, vt latè probauimus in præcedentibus.

Ferr opinio rejicitur.

Iam verò superest POSTREMA controuersia pars de modo loquendi: an scilicet affirmari congruè possit verbum procedere ex seipso & Spiritu sancto, & creaturis, vt obiectis primarijs, aut secundarijs, vel etiam vt principijs productionis, sicut asseruit Vasq.

Non proprie dici verbum diuinum procedere ex se ipso & Spiritu S. & creaturis vt obiectis, aut principiis productionis: vni aut per se primo obiectum cuius ex essentia, & personis.

Solutur hac dubitatio duplici præmissa distinctione. Prima est: Duplex potest à nobis intelligi paternæ cognitionis obiectum: Vnum vt cognitum præcise: Alterum vt cognitum simul & ratio cognoscendi. Ad primum pertinent diuinæ relationes, personæ & creaturæ in Deo visæ. Secundum autem est diuina essentia, quæ necdum est obiectum à patre cognitum, sed est etiam ratio cognoscendi relationes ad intra personas & creaturas ob supradictam causam; quia scilicet essentia diuina est per se primò diuinæ mentis obiectum, in quo necesse est vniuersa cognosci. Et cum ratio cognoscendi causalitatem virtualem in Deo significet iuxta modum intelligentiæ nostræ, quæ causalitas diuinis relationibus & personis vt sic, & creaturis vt cognitis respectu diuinæ mentis & cognitionis minimè congruit: consequens est relationes, personas & creaturas vt cognititas, non esse principium quo illius cognitionis, qua verbum producit, & eadem ratione, neque ipsius verbi; igitur tale principium sola est essentia, quæ simul est obiectum paterni intellectus motuum & terminatum.

Duplex paternæ cognitionis obiectum.

Secunda distinctio, qua magis explicatur præcedens, est. Duplex in Deo cognitionis & verbi potest considerari principium: Alterum quod, & alterum quo. Non omne obiectum cognitum est principium quod, siquidem essentia diuina obiectum est à Deo præcognitum, quæ tamen non est principium quod cognitionis & verbi; sicut etiam in visione beatorum obiectum cognitum est essentia Dei, quæ tamen non est principium quod visionis eorum, sed est tantum principium quo. Non est igitur de ratione obiecti cogniti, quatenus obiectum cognitum est, vt ratione habeat principij quod respectu cognitionis; sicut non est de eius ratione, vt sit ipsum cognoscens in esse naturali. Illud igitur solum obiectum cognitum erit principium quod cognitionis & verbi, quod elicitiuum est cognitionis, & quod realiter à verbo productum distinguitur: quod soli Patri conuenit; non tamen sub ea ratione formali qua cognitus est, sed vt talis persona est, cui primò, id est, à se conuenit intellectio. Principium verò quo intellectio & verbi sola est essentia diuina vt obiectum à Deo primò cognitum, vt ante diximus: sola enim ipsa est obiectum motuum diuini intellectus, & eius species intelligibilis seipsam primò representans, deinde relationes, ac personas & creaturas: Nam neque Pater aut Filius aut Spiritus sanctus vel relationes earum constitutiue, aut pluribus communes rationem habent obiecti motui aut speciei intelligibilis respectu paternæ mentis & cognitionis: sed essentia sola, quæ species & ratio vnica est non tantum Patri, sed etiam Filio & Spiritui S. totius comprehensivæ cognitionis, quæ seipsos, relationes, essentiam & creaturas intelligunt; hæc enim sola formaliter loquendo, Dei perfectio est, tam naturalis quam intelligibilis: nec vlla, nisi ratione Deitatis, perfectio conuenit relationibus aut personis. Constat autem ad perfectionem Dei for-

Duplex in Deo cognitionis, & verbi principium.

for-

formaliter pertinere hoc, quod est habere rationem speciei & obiecti motui in intelligendo.

Ad quæsitum igitur DICO. PRIMO: Verbum non procedere ex seipso, aut Spiritu S. ut cognitis. Probatur: quia neque verbum, neque Spiritus S. habent rationem speciei, aut principij motui, & multò minus principij quod respectu paternæ cognitionis, aut verbi.

DICO SECUNDO, Verbum non procedere à Patre, ut obiecto cognito, eadem ratione: quamvis ab eo procedat ut dicente.

DICO TERTIO, Verbum non procedere à creaturis ut notis, quia nec creatura secundum se sunt obiectum motuum, aut species, vel causa speciei diuini intellectus: nec cognitio Dei quouis modo dependet à creaturis: & eadē ratione nullum prædictorum principium est productionis diuini verbi.

POSTREMO DICO, in bono sensu, quamvis minus aptè, dici posse verbum procedere à prædictis omnibus ut notis formaliter, id est, quia ratione nota sunt, id est, quoad id, quod est eis ratio cognoscendi: hoc verò est essentia; vel ut notis formaliter, id est, ex eorum cognitione. Et quoniam, ut in prædicta controuersia q. 12. notauī, in quolibet obiecto non distinguuntur id quod habet rationem quod, & id quod habet rationem quo, quasi duò obiecta, quorum alterum sit primum, & alterum secundarium, sed ad vnius obiecti perfectionem vtrumque pertinet, ut videre est in singulis potentiarum & actuum obiectis; idcirco essentia diuina, quam rationem esse dicimus cognoscendi personas & relationes in Deo, non ponit cum illis in numero, ut essentia sit obiectum primum, personæ verò & relationes secundarium: sed vtrumque pertinet ad obiectum diuini & paterni intellectus primum; ac proinde verbum per se & primario producit ex cognitione relationum & personarum: non ea ratione tantum, quia ille actus intelligendi, quo producit verbum, habet essentialiter & per se primò quod sit cognitio non tantum essentia, sed etiam personarum, quod est produci per se primò per dictorum cognitionem ex parte actus, ut ait Suarez; verum etiam ex parte obiecti; quia scilicet æquè primò paterna cognitio terminatur ad essentiam, relationes & personas, ut ad rem maximè vnā secundum se realiter & formaliter, salua distinctione reali relatiua; Nam etsi diuina essentia modo nostro intelligendi sit ratio cognoscendi personas, atque ideo concipiatur ut obiectum per se primò intelligibile respectu personarum & relationum: vnum tamē & integrum obiectum ut quod constituitur ex essentia, personis & relationibus: ex cuius perfecta cognitione procedit verbum: Et ideo simpliciter enunciatum est verbum procedere ex cognitione diuinarum personarum tanquam ex obiecto primario simul cum essentia; Et consequenter etiam notionalem intellectionem Patris, qua generat verbum, sub se complecti personam Spiritus S. ut cognitam: non solum in primo modo dicendi per se, sed etiam in quarto sano modo intelligendo.

Relationes,
& persone
pertinent ad
obiectum
primum.

Contra easdem concl. argum. Vasquez probans Spiritum S. non posse comparari ut obiectum per se requisitum ad productionem verbi. Primò. Quia alioquin sequeretur verbum esse imaginem Spiritus S. Probat sequelam; quia nunc verbum est similitudo illius ipsius representans, cū sit verbum illius, & tunc insuper ab illo saltem ut obiecto procederet: At hoc satis est ad rationem imaginis; ergo &c. Probat minorem; quia licet imago debeat procedere ab eo, cuius est similitudo, tamen sufficit si procedat modo intelligibili ut ab obiecto; ergo &c. Probatur hoc antecedens; quia si imagines arte depictæ imagines sunt hominum, quas representant, & tamen ab eis, ut ab obiectis modo intelligibili solum procedunt. Respon. nullam esse consequentiam. Ad eius probationem dico falsam esse minorem propositionem.

tus S. nec alio modo quā in dictis tribus possibile est Deum subsistere & esse Deum: quamvis imperfecta nostre mentis intelligentia plures habeat intelligendi modos, tantæ rei secundum se minimè congruentes. Materiam hanc latius explicant Suarez in d. lib. 9. c. 3.

PRIMA CONCL. Verbum diuinum procedit ex noticia essentia, personarum & omnium relationum ad intra. Concl. hanc deducit.

SECUNDA CONCL. Verbum procedit ex intuitiua cognitione prædictorum omnium. sc. essentia, personarum & relationum.

TERTIA CONCL. Verbum diuinum procedit ex cognitione naturali, quæ est creaturarum possibilem.

QUARTA CONCLVS. Verbum diuinum non procedit ex scientia visionis, siue libera creaturarum.

QUINTA CONCLVS. Verbi productio procedit scientiam visionis creaturarum; subsequitur autem scientiam earundem naturalem.

SEXTA CONCL. Verbum diuinum non procedit ex seipso, aut Spiritu S. ut cognitis, ac principij processionis ipsius verbi propriæ, & absolute loquendo: & eadem ratione neque à Patre ut obiecto cognito, sed tantum ut dicente.

SEPTIMA CONCLVS. Verbum non procedit à creaturis ut cognitis.

OCTAVA CONCL. In bono sensu formaliter loquendo dici potest verbum procedere à personis, & creaturis ut cognitis. Hanc conclusionem significat hic Caiet. cū ait de mente D. Tho. verbum Dei natum esse ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris. sc. essentia, personis & omni alio intelligibili simplici.

NONA CONCL. Verbum diuinum per se primò producit ex cognitione essentia, personarum & relationum, non tantum prout dictio illa per se primò se tenet ex parte actus intelligendi, sed etiam prout se tenet ex parte obiecti.

VLTIMA CONCL. Notionalis intellectio Patris, qua generat verbum, sub se complectitur personam Spiritus sancti ut cognitam, non solum in primo modo dicendi per se, sed etiam in quarto sano modo intelligendo.

CONTRA 1. & 2. concl. sunt argumenta Radæ, qui us in dicta 11. controu. probare nititur secundum mentem Scoti & simpliciter, verbum diuinum procedere non ex cognitione, sed ex memoria secunda, per actum dicendi. Sed eius rationes & fundamenta superius q. 22. a. 1. copiose confutauimus. Cū autem memoriæ secundæ nomine fateatur se intelligere paternum intellectum, essentia ipsa diuina ut specie intelligibili actuatam, nihil in hac parte diuersum affirmat à sententia nostra.

Contra easdem concl. argum. Vasquez probans Spiritum S. non posse comparari ut obiectum per se requisitum ad productionem verbi. Primò. Quia alioquin sequeretur verbum esse imaginem Spiritus S. Probat sequelam; quia nunc verbum est similitudo illius ipsius representans, cū sit verbum illius, & tunc insuper ab illo saltem ut obiecto procederet: At hoc satis est ad rationem imaginis; ergo &c. Probat minorem; quia licet imago debeat procedere ab eo, cuius est similitudo, tamen sufficit si procedat modo intelligibili ut ab obiecto; ergo &c. Probatur hoc antecedens; quia si imagines arte depictæ imagines sunt hominum, quas representant, & tamen ab eis, ut ab obiectis modo intelligibili solum procedunt. Respon. nullam esse consequentiam. Ad eius probationem dico falsam esse minorem propositionem.

sitionem. Ad cuius probationem negatur anteceden-
dens. Ad eius probationem negatur consequen-
tia: quia filius Dei, quod est verbum diuinum est
naturalis & substantialis imago Patris, ad quam
per se, & necessario requiritur similitudo in eadē
natura specifica secundum esse naturale: & natu-
ralis processio ab eo cuius est imago, vt ab acti-
uo principio producente; sola verò similitudo
in esse intelligibili aut representatiuo non suffi-
ciat absolutam & verè propriam rationem i-
maginis, qualem enunciamus de verbo Dei, cum
illum appellamus imaginem. Sed de hoc differe-
mus vberius in quaest. sequenti. Secundò dico fal-
sam esse maiorem propositionem quo ad secun-
dam partem, vt patet ex 6. conclu.

Obi. 2.

Secundò. Illud dicitur principium per se alicuius operationis aut cognitionis, quo posito ponitur & quo ablato auferitur in nostra intellectu-
ne; at ablato Spiritu S. & illius processione, hoc est non considerato à nobis, intelligimus nihilo-
minus integrè productum verbum à Patre vir-
tute sui intellectus, perfectum Deum, omni-
potentem, & cum alijs perfectionibus, quæ diuinæ
naturæ tribuuntur; ergo Spiritus S. & processio
illius intellecta non comparatur vt principium
etiam secundum esse intelligibile, cum produ-
ctione verbi. Minor probatur; quia generatio
vt generatio intelligitur à nobis per se solum in
quarto modo dicendi per se ad filiationem, & re-
lationem verbi in diuina essentia terminari: ra-
tionem verò spiratoris consequenter in illo in-
telligimus. Vnde Græci negant filium esse spirato-
rem, & concedunt ipsum esse verbum Patris
cum sua integra natura deitatis. Resp. primò hoc
argumento probari sextam nostram conclusio-
nem; sed quatenus militat contra duas vltimas
conclusiones, respondetur secundò negando mi-
norem. Ad probationem negatur assumptum:
Nam generatio verbi diuini, vt generatio perfe-
ctissima, non solum terminatur ad filium, sed et-
iam ad spiratorem; est enim filius spirator ex vi
generationis perfectissime, quæ deitatis perfecta
natura communicatur, quæ per se, ac necessariò
ratio spirandi est Spiritus S. per actum volunta-
tis, in quavis persona diuina repugnantem con-
ditionem aut oppositam relationem non habente;
consequitur igitur spirandi proprietatem essen-
tiam non absolute, sed cum modo & conditione
prædicta. Per quod diluitur replica quædam ei-
usdem expositoris.

Obi. 3.

Tertiò. Prius intelligitur verbum produci,
quam ex eo procedat Spiritus S. ergo non con-
currit Spiritus S. vt obiectum cognitionis intui-
tiuæ, quæ producit verbum. Resp. vt ante di-
ximus, à parte rei nullum esse prioritatis ordi-
nē inter diuinas personas, aut processiones earū,
sed ordinem tantum originis scilicet à quo ali-
us, & quā ab alio, qui non tollit similitudinem se-
cundum se naturæ, & cognitionis; quamuis ex
imperfecto modo nostro intelligendi concipia-
tur verbi generatio vt prior processione Spiritus
S. Reliqua argumenta, quæ produci possent
contra duas illas conclusiones, facilem habent
solutionem ex dictis.

Obi. 1. cōt. 3.
concl.

CONTRA 3. concl. multa producant, & solu-
unt argumenta Capr. Cai. Ban. & Zumel. Cō-
tra eandem concl. argum. Rada argumento Scoti.
Primò. Sicut verbum procedit per actum in-
tellectus, ita Spiritus S. per actum voluntatis;
ergo si verbum procedit vt verbum omnis intel-
ligibilis intellecti, similiter Spiritus S. vt amor
omnis amabilis amati: sed hoc consequens est fal-
sum; ergo &c. Fallitatem consequentis probat

A primò; quia ex eo sequitur Spiritus S. ex vi suæ
processionis esse amorem creaturæ sicut essentia.
Secundò; quia sequitur, vel Deum necessariò a-
mare creaturas, vel Spiritus S. non necessariò
spirari; quorum vtrumque est falsum. Resp. nul-
lam esse consq. quia Deus necessariò cognoscit
creaturas, & earum cognitio Deo est connatura-
lis; at non amat eas necessariò, sed liberè: Ita re-
spondent Cai. Ban. & Zumel. qui latè & eruditè
explicat vim responsionis impugnata priori re-
sponsione Caietani vt minus apta; cuius nos pro-
babilem sensum aperiemus inferius. Videndus
est Ferrar. in dicto c. 13. vbi tertiam addit respō-
sionem minimè tamen aptam.

C Sed hanc responsionem sic arguit Rada. Quia-
uis Deus amore efficaci nō diligit creaturas pos-
sibiles, sed merè liberè, diligit tamen eas neces-
sariò amore complacentiæ, quo ad esse intelli-
gibile, & possibile earum; gaudet namque neces-
sariò, quòd tale esse in sua essentia habeant; Ergò
Spiritus S. ex creaturarum amore necessariò pro-
cedet, cuius oppositum affirmat responsio. Se-
cundò. Sicut amor essentia sine amore creatura-
rum est perfectissimus: ita cognitio essentia si-
ne cognitione creaturarum est perfectissima.
Ergò &c. Antecedens probatur quia sicut crea-
turæ nihil bonitatis intensiue addunt diuinæ
bonitati: ita nec aliquid entitatis & intelligibi-
litis addunt intensiue diuinæ entitati & essen-
tia; Ergò. &c. Probatur hoc antecedens; quia
diuina essentia est obiectum infinitum intensi-
uè, etiam si creatura aliqua non esset possibilis;
Ergò cognitio ei adæquata intensiue, infinita e-
rit intensiue; quia cognitio & obiectum commē-
surari debent. Resp. ad primum admittendo to-
tum argumentum. Vt enim supra docuimus qu. 20.
a. 2. contra Suar. quamuis Deus absolute lo-
quendo non diligit creaturas possibiles, diligit
tamen eas secundum quid, quatenus earum vult
bonitatem in esse possibili. Nec in responsione
negatur ex tali amore necessariò procedere Spi-
ritus S. sed ex amore simpliciter; in quo sensu
possunt accipi verba Caiet. dicentis parem esse
rationem de re intellecta in Deo, & de re amata

Replica. 1.

2.

Solut. pri-
mæ.

D in Deo: quatenus scilicet est præcisè possibilis
in actiua Dei potentia. Ad secundum negatur an-
tecedens loquendo de amore simpliciter: non e-
nim est eadem ratio. Ad probationem negatur
consequentia; quia licet creaturæ nihil essentia
Dei perfectionis adiungant: diuinæ tamen co-
gnitionis perfectio, quæ suam comprehendit es-
sentiam secundum omnem eius gradum, & vir-
tutem, possibilitium creaturarum necessariò co-
gnitionē includit, vt perspicuè declarauimus, &
efficaciter ostendimus in tertia parte huius cōtro-
uersiæ. Præterea falsum est diuinam essentiam fo-
re infinitam intensiue, si nulla esset creatura pos-
sibilis; nam propriè loquendo possibiles verè, &
realiter sunt creaturæ per actiuam Dei potētiam,
quæ à Deo remota tollitur eius infinitas inten-
siua.

Sol. posse-
rioris.

E Contrareponsionem hanc argumentatur Rada. Replica.

Primò. Si diuina cognitio ad esse diuinæ essen-
tiæ solum terminata, & non ad creaturas, non
erit perfectissima; Ergò Deus quo ad intel-
lectum non perfectè beatificatur in cognitione
suæ essentia absque creaturarum cognitione:
at hoc est falsum, & contra August. 5. confesio-
num dicentē: Beatus est, qui te, & illa nouit (i. cre-
aturas) sed non beator propter illa; Ergò di-
uinæ essentia cognitio ad ipsam præcisè ter-
minata est perfectissima: adeò vt perfe-

August.

ctior

Etior intensiue excogitari non possit, licet maior extensiue detur, vt puta eadem cognitio essentia, vt ad creaturas terminata. *Secundo* Infinitum intelligibile intensiue cum intellectu infinito potest, omnibus alijs obiectis per possibile, vel impossibile seclusis, infinitam parere notitiam; sed diuina essentia, etiamsi creatura esset impossibilis in quocunque esse, esset huiusmodi. Ergo. &c. *Tertio*. Isti videntur defectum in diuina essentia constituere: siquidem eam absque creatura vt cognita, ad verbi gignitionem impotentem prædicant. Ergo &c. *Quarto*. Ex minus impossibili non sequitur impossibilius; Sed minus impossibile est, non esse creaturam etiam in esse intelligibili; quam non esse verbum; Ergo sublata omni creatura in quocunque esse per possibile, vel impossibile, adhuc posset esse verbum diuinum in sua essentia; Ergo etiam sublata cognitione creaturæ; quia sublata creatura in esse intelligibili tollitur & eius cognitio; Ergo cognitio solius essentia in se esset sufficiens ad verbi generationem. *Resp. ad 1.* negatur falsitas consequentis. Ad verba Augustini, dico Aug. Ioqui de creaturis cognitis, non autem de cognitione creaturarum; à creaturis enim cognitis nullius pendet videntis beatitudo, sed ab ipso solo Deo & eius essentia, quæ ratio est omnia cognoscendi; A cognitione verò creaturarum in Deo ea ratione pendet non solum Angeli & hominis, sed etiam Dei beatitudo, quod in perfectione visionis clauditur necessario cognitio creaturæ, & multo magis in eius cognitione comprehensiuæ soli Deo propria, vt patet ex supradictis *ex a. 8. q. 12.* *Secundo* dico in cognitione essentia perfecta includi notitiam creaturarum, quæ virtualiter in ea continentur. *Tertio* dico Diuum Augustinum loqui de ratione beandi, quæ est sola essentia visa. *Ad secundum* nego minorem. Seclusis enim à diuina potentia creaturis vt possibilibus, non esset Deus infinitum intelligibile intensiue; nam intelligibilitas Dei ab eius entitate pendet: ideo verò Deus est ens infinitum per essentiam, quia rerum omnium essendi modos continet eminenter & virtualiter, vt æquiuoca causa, quæ sua nobilitate quemuis in ea contentum longe superexcedit effectum. *Ad tertium* negatur assumptum. Ad probationem negatur antecedens; non enim dicimus Dei potentiam pendere à creatura vt cognita: sed docemus Dei essentiam, & eius potentiam non esse perfectam, nisi contineat eminenter creaturas, & consequenter non esse perfectam Dei cognitionem, nisi diuinam essentiam videat, prout ita continet creaturas; nec Deum esse sui visione beatum, nisi fuerit ad creaturas extensa: Quam visionis extensionem benè dixit Cai. in prædicto articulo octauo ad eiusdem intensionem pertinere. *Ad vltimum* negatur minor loquendo de esse intelligibili creaturarum ad intra, & prout in diuina potentia continentur vt possibiles; quamuis enim creaturarum essentia secundum se non sint æqualis necessitatis cum ipso verbo; quatenus tamen in essentia diuina supereminenter continentur vt ab ea producibiles, idem habent esse cum essentia Dei, & eandem in esse, & in cognosci necessitatem. Res enim sub tali esse scilicet diuino sola rei essentia non est, sed est esse rei in esse tali scilicet diuino maxime necessario.

Secundo principaliter sic argumentatur. Actus intellectus diuini prius terminatur ad verbum, quam creaturæ cognoscantur; Ergo non producit ex cognitione creaturarum. Consequentia tenet. Antecedens probatur; quia nostra cogni-

tio prius terminatur ad verbum, quam ad res cognititas; ad hoc enim formatur verbum, vt in ipso res cognititas contemplerur; Ergo ita est in Deo. *Resp.* primò falsum esse antecedens, vt patet ex dictis contra Ferrariensem. Ad probationem negatur consequentia; quoniam verbum nostrum causalitatem habet respectu nostræ cognitionis, nō ita verbum diuinum; alioquin Pater intelligeret verbo genito, & esset sapiens sapientia genita. *Secundo* dico ordinem illum prioritatis nullum esse à parte rei, vt ante diximus, sed ad modum nostræ cognitionis imperfectum pertinere. Et quamuis inter Patrem dicentem, & verbum dictione productum sit ordo à quo alius & qui ab alio, non est tamen verbum dicente posterius instanti naturæ; aut cognitionis, vt supra diximus. Et per hæc soluntur alia quedam eiusdem authoris obiecta.

Tertio sic arguit. Si verbum procederet de cognitione creaturarum, sequeretur, quod creaturæ prius essent, saltem in esse cognito, quam verbum in esse reali; sed consequens est omnino absurdum; Ergo. &c. Consequentia probatur; quia tunc cognitio creaturarum præsupponeretur verbo; Ergo & creatura in esse cognito, nullam esse confq. Ad probationem iam dictum est, nullum esse à parte rei ordinem naturæ aut cognitionis inter creaturarum cognitionem & verbi diuini processionem; immò cum verbum pertineat ad obiectum primum, magis habet vnde prius esse dicatur & intelligi, quam creaturæ. *Secundo* nego absurditatem consequentis: necesse est enim præintelligi notitiam termino per eam productum, quod est verbum.

Contra eandem conclus. argument. Vasquez primo à priori sic. Si creaturæ possibiles præderent modo nostro intelligendi secundum esse intelligibile productionem verbi, eo esset, quod essentia diuina secundum suam rationem haberet realem ordinem & connexionem cum illis: essetque in ea intrinseca quædam perfectio representare creaturas, repræsentare (inquam) secundum formalem rationem relatiuam, quam nomine repræsentationis significamus; Sed hæc nulla est in Deo perfectio, præter illam, quam in se habet Deus, quatenus ad se est absolute; Ergo repræsentatio illa creaturarum non potest ad productionem verbi per se pertinere, sed sola essentia diuina, quatenus ad se absolute est. Minor probatur primò; quia nulla est in Deo relatio realis, hoc est intrinseca, & ex natura rei ad creaturas; igitur essentia diuina ad se absolute sine representatione creaturarum, infinita & perfecta intelligitur. *Secundo*: quia diuina essentia in se & ad se absolute considerata talis est perfectionis, vt etiamsi nihil esset futurum, vel possibile extra illam, eadem esset omnino; posito autem possibili aut futuro, sine vlla mutatione aut perfectione relatiua, quæ adueniat per solā relationem rationis comparatur vt representans & intelligens, Ergo &c. *Et confirmatur*. Quia Deo ablato per impossibile sequitur per locū intrinsecum, nihil extra ipsum esse possibile; contra verò, quocunque alio supposito impossibili, per locum intrinsecum non sequitur ipsum non esse possibile, vt patet. Est igitur Deus absolutus in se ab omni alio. *Resp.* sequelam maioris, quo ad priorem partem nullam esse. Non enim ideo cōcipimus verbum ex creaturarum cognitione procedere; quia essentia realem habeat ordinem & connexionem cum creaturis: Sed quia creaturarum cognitio ad perfectionem pertinet paternæ cognitionis, quæ diuinam essentiam com-

solu.

obi. 3.

sol.

obiectio. 4.

confir.

solu.

obi. 2.

prehendit, vt ante diximus. Nec tamen repræsentatio creaturarum sumpta secundum rationem formalem relatiuam, est in Deo perfectio perti-
nens per se ad verbi productionem: vt enim ostēdimus *supra q. 12. a. 8. contr. 1.* non est necesse obie-
ctum cognitum, in quo alia cognoscuntur, esse formaliter relatiuum, aut relatiuè concipi in ordine ad rem in eo cognitam: sed potest tam obiectum, quàm res in eo cognita sub absoluta ratione cognosci. Igitur repræsentatio creaturarum in Deo formaliter & actualiter prior est omni respectu ad creaturas, vt fundamentum relatione. Ad secundam autem probationem minoris quatenus impugnatur hanc responsionem, iam supra diximus, quod si nihil esset possibile per actiuam Dei potentiam, non esset essentia Dei & eius potentia perfectionis infinitæ simpliciter. Vnde falsum est, quod assumitur in secunda parte confirmationis eius argumenti siue probationis. Per quod etiam soluitur sequens argumentum eiusdem expositoris.

Ad Conf.

Obi. 5.

Solut.

Secundo sic à posteriori. Et si per impossibile vna aut altera vel etiam omnes creaturæ essent impossibiles: non sequeretur per locum intrinsecum, aut verbum diuinum non producendum aut alterius proprietatis & naturæ futurum; Ergo nullo modo per se pertinet creaturæ ad productionem verbi. Probatur sequela: Nam si necessario pertinerent, sequeretur per locum intrinsecum non futurum verbum eodem modo; ablatum enim eo, quod per se spectat ad productionem alicuius vt tale sit: aut eius productio de medio tollitur, aut alterius omnino rationis res illa producit. *Resp.* falsum esse id quod assumitur in argumento, quo ad omnes possibiles creaturas, prout actiua Dei potentia sunt & dicuntur possibiles, ob sæpè dictam causam; quia scilicet non potest esse aut concipi Dei virtus infinita, nisi prout infinita continet factibilia: immo & ipsa actiua continentia est virtus ipsa Dei infinita. Ad cuius euidenciam aduerte creaturas possibiles tripliciter posse considerari. *Primo* secundum suas essentias absolute sumptas: & sic abstrahunt ab omni essendi modo, creato & increato, & quidditatiuè distinguuntur à Deo & eius potentia. *Secundo* possunt considerari secundum illud esse præcisè, quo continentur in Deo, aut eius virtute vel intellectu formaliter: & sic non distinguuntur ab esse Dei & idem sunt omnino quod Deus ipse. Et in hoc sensu verum est dictum illud Augustini: *Creatura in Deo est creatrix essentia.* *Tertio* possunt considerari creaturæ possibiles secundum suas essentias, vt existentes in Deo & eius virtute veluti in causa: aut etiam vt existentes in essentia diuina tanquam actu repræsentante, & in eius intellectu & intelligere vt actu intellectæ: & hoc modo licet quo ad quidditates præcisè sumptas distinguantur à Deo, absolute tamen prædicto modo sumptæ, mirum vt existentes in Deo & per esse diuinum, sunt idem cum Deo, & ad infinitam illius perfectionem pertinent. Vt enim in *q. 4. latè* diximus, ens tantum simpliciter dicitur id quod est existens: & consequenter id quod existit esse diuino & increato formaliter Deus est realiter formaliter & absolute. Et in hoc etiam sensu verum est & magis proprie dictum, creaturam in Deo esse creatricem essentiam: & eius cognitionem ad comprehensionem essentiæ pertinere, vt sæpè diximus. Nam esse increatum præcisè, quo creaturæ existunt in Deo, non potest vlllo modo dici creatura: at res in Deo existens per esse diuinum creatura dici potest vt

Naz. in 1. part. D. Tho. tom. 2.

A possibilis fieri sub esse creato. Et contra responsionem hanc sic explicatam, non militat argumenta. Vt quibus quædam aliorum responsiones impugnat. Nam facta illa suppositione impossibili, sequitur manifestè per locum intrinsecum vtraque pars contradictionis; nam, vt diximus, creaturæ prædicto modo sumptæ, clauduntur intimè in infinita perfectione diuini esse: & consequenter earum cognitio ad comprehensionem pertinet essentiæ diuinæ.

Contra eandem conclus. argum. Pefantius. Pri. obi. 6. *md.* Productio verbi est formaliter communicatio essentiæ: Sed essentia Dei non est intellectio creaturarum; Ergo verbum Dei non procedit ex intellectu creaturarum. *Resp.* falsam esse *Solut.*

B minorem loquendo de essentia Dei perfectè sumpta, prout includit attributa & perfectiones omnes formaliter in Deo existentes.

Secundo. In priori quodam intelligitur deitas, cui aduenit intellectio creaturarum tanquā perfectio secunda; Ergo per solam deitatis intellectiōnem verbum diuinum procedit vt Deus similis Patri in natura; intellectio verò creaturarum solum ad illum se habet vt perfectio, quemadmodum se habet ad Patrem. *Resp.* falsum esse *Solut.* antecedens, loquendo de deitate secundum perfectam & integram eius rationem.

CONTRA quartam conclus. argum. Val. S. Tho. *Cont. 4. cōc. in hoc art. & infra q. 37. a. 2. ad 3.* fateatur verbum *Obiect. 1.* procedere ex qualibet cognitione creaturarum, vbi sic ait: *Sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo quod genuit, in quantum verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam.*

Respondetur. D. Tho. utrobique loqui de scientia naturali, quæ est creaturarum, quatenus tantum possibiles sunt: hic enim ait verbum esse creaturarum expressiuum & factiuum: dicitur autem factiuum ad factibile: faciens verò ad id quod fit. In *q. autem 37. de in* profert iudicium de processione verbi, & de processione Spiritus S. quem in eiusdem loci expositione ostendimus non procedere ex amore libero creaturarum. *Secundo* dico, verbo & Spiritui sancto communicari non tantum ea quæ præcedunt: sed etiam ea quæ sequuntur processiones eorum; vt supra declarauimus.

Contra eandem conclusionem sic arguunt quidam. *Obi. 2.* Sine scientia libera non comprehenditur essentia & intellectus; Ergo, &c. Antec. probatur quia licet per scientiam naturalem cognoscantur futura possibiliter vel sub conditione vel quasi in actu signato: non tamen omnibus modis; Ergo, &c. *Resp.* falsum esse antecedens. Ad probationem negatur consequentia; quia cognosci omnibus modis cōtingit dupliciter. Vno modo ex parte cognoscentis vt cognoscens est, & cogniti vt cognitum est formaliter & per se. Alio modo ex parte cogniti materialiter & per accidens. Dico igitur quod res possibiles ante actua-
lem existentiam, & ante omne decretum diuinæ voluntatis sunt à Deo cognitæ omnibus modis se tenentibus ex parte cognoscentis Dei vt cognoscens est & ipsarum rerum possibilium, vt cognitæ sunt formaliter & per se, id est quod omnè modum & perfectionem diuinæ cognitionis, & quo ad omnem quidditatem & modum naturalem rebus ipsis conuenientem, qualis est etiam aptitudo ad existentiam: cuius aptitudinis notitia cognitionem exigit existentia in actu signato, & exercitij etiam existentia in actu signato: Quod

Q

au-

autem actus res existant, rebus quidem ipsis efficiendi nouitatem adiungit: at diuinæ cognitioni nulla fit perfectionis accessio, quæ res omnes secundum omnem earum conditionem & modum illis per se, vt cognoscibiles sunt, conuenientem attingit. Non enim maior aut diuersa per se & formaliter est rei existentis in actu exercito cognoscibilitas aut actualitas, quàm sit eiusdem actualitas & cognoscibilitas vt existentis in actu signato, sed eadem omnino. Nam additum exercitium etiam ipsum in actu signato supponitur cognitum secundum omnem rationem & modum suæ actualitatis. Igitur actu existere merè per accidens se habet ad perfectè cognosci, præsertim ab eo intellectu, cuius cognitio non pendet à rebus: sed è contra res per eius cognitionem producuntur.

Cont. 5. cōcl.
obi.

CONTRA quintam conclus. argum. Ferrar. Apud S. Th. verbum ponitur in intellectu ad hoc vt intellectus in rem intellectam feratur; ergo non est prius ipsum intelligere, vt ad rem intellectam terminatur, quàm sit verbi productio. Probatur antecedens, quia per verbum fit res intellecta in actu completo, quantum ad esse intelligibile & obiectum. Conseq. verò probatur, quia alioquin nulla esset necessitas ponendi verbum propter intellectiōem, sed è contrariò prius oportet intelligere actum intelligendi producere verbum, quàm terminari ad rem intellectam vt in se est, tanquam vltimate terminans intellectiōem. Resp. anteced. verum esse de verbo creato, non autem de verbo increato personaliter dicto, quod à Patre producit: non propter intelligendi necessitatem, sed propter infinitam naturæ diuinæ fecunditatem. Videnda sunt quæ supra diximus q. 27. a. 1. de ordine verbi & intelligere.

Galatio.

CONTRA reliquas concl. militat diuersa argumenta respectiue ex supradictis, nec alia vidi à quoquam fortiora produci.

SECUNDA CONTROVERVERSIA.

An nomine verbi diuini importetur respectus ad creaturam ratione proprietatis personalis vel ratione naturæ?

Sententia
Dilectum.

REFERT Capr. in 1. dist. 21. q. 2. a. 2. contra 3. concl. opinionem Aur. dicentis verbum importare respectum ad creaturas ratione suæ proprietatis personalis.

Scotus in 1. dist. 27. q. 3. & quol. q. 8. a. 3. cuius sententiam refert & sequitur Rada controu. 12. a. 3. tria dicit. Primum: Nullus respectus ad creaturas potest per se includi in proprietate constitutiva verbi. Secundum: Si nomine verbi importaretur primò respectus realis ad Patrem dicentem & respectus ad creaturam dictam, non significaret aliquid per se vnum. Tertium: Nomen verbum primò & per se ac formaliter importat respectum ad Patrem dicentem: connotat tamen respectum ad creaturam declarantis ad declaratum.

Vasq. hic dist. 14. a. 2. ait relationem ad creaturas verbo conuenire, non ratione solius essentiae, neque ratione solius proprietatis, sed ratione vtriusque simul.

D. Tho. in 1. dist. 27. q. 2. a. 3. videtur affirmare verbum non semper dicere respectum ad creaturas. Hic verò ad primum docet in nomine verbi importari respectum ad creaturas, non quoad relationem personalem sed quo ad essentiam in eius significatione clausam. Quam sententiam se-

quantur communiter expositores Thomista per hoc a.

AD CUIVS euidentiam sciendum est primò ex D. Tho. in 1. dist. 27. q. 2. a. 3. diuinam essentiam & Deum ipsum esse in se rem quandam, & esse similitudinem siue speciem rerum, omnium repræsentatiuam, ac proinde diuinum intellectum posse dupliciter diuinam essentiam contemplari: Vno modo absolute quatenus res quædam est: Alio modo quatenus similitudo est rerum omnium siue species vniuersa repræsentans. Et quâvis hic vnus interueniat diuinæ mentis actus simplicissimus: in duplicem tamen prædictum modum siue rationem nostrā conceptione distinguitur. Cum itaque diuinum verbum ex intellectu Patris media intellectuione procedat, cōcipitur & ipsum à nobis dupliciter, vt ait S. D. Vno modo prout consequitur actum intellectus diuini quatenus absolute seipsum intuetur: & sic verbum absolute dicitur in diuinis sine respectu ad creaturam, siue essentialiter siue personaliter dicatur: Alio modo concipitur à nobis verbum Dei prout consequitur intuitum diuini intellectus, quatenus conuertitur supra se, prout est similitudo omnium rerum & exemplar: & hoc modo intelligitur in verbo respectus ad creaturas duplex, scilicet expressiui & operatiui, vt explicatur in textu præsentis art.

Resolutio
Verbum di-
uinum secū-
dum propriā
sui rationē
cōplectē sum-
ptam, nō ta-
men ex pro-
prietate per
se aliā dicit-
ur ad creatu-
ras.

Vt autem dictorum hic & in 1. appareat consonantia, distinguendum est cum Sylu. super hoc a. & Ferrar. in 4. cont. gent. c. 13. posse nos de nomine verbi diuini loqui dupliciter. Vno modo quoad integrum siue perfectum & totale eius significatum; & hoc modo vtramque prædictam considerationem complectitur, & consequenter importat respectum ad creaturas, vt hic affirmat S. D. Alio modo quoad partialem rationem siue acceptionem significati ipsius verbi, quatenus si per actum intellectus diuini procedit secundum eam rationem, qua suam essentiam præcisè contemplatur & seipsum dicit: & hoc modo nullum respectum dicit ad creaturas, vt in 1. sent. dicitur, sicut etiam nomen diuinæ scientiæ secundum suum totale significatum respectum connotat ad creaturas; quia Deus sua scientia seipsum cognoscit & creaturas. At secundum partialem eius rationem, quatenus scilicet seipsum sua scientia Deus præcisè cognoscit, nullum dicit aut connotat respectum ad creaturas. Posset secundo dici in nomine verbi diuini nullum importari primò & per se respectum ad creaturas, sed secundariò tantum siue consequenter & quasi per accidens, vt affirmat S. Tho. de verit. q. 4. a. 5. vt inferius ostendemus.

Concilium
dicta D. Th.

Secundò obseruandum est cum Cai. aliud esse dicere verbum secundum propriam rationem refertur ad creaturas: & verbum ex proprietate personali refertur ad creaturas. Nam prima propositio vera est: quia verbum in propria sua ratione claudit non solum relationem personalem, qua refertur ad Patrem dicentem, sed etiam essentialē cognitionem, ex qua habet vt refertur ad omnia, quæ verbo sunt dicta & expressa, & per verbum sunt facienda. Procedit enim in Deo verbum vt expressa similitudo & exemplar eorum omnium, quæ per suam scientiam Deus intelligit: & consequenter necesse est, vt relatione rationis intelligatur à nobis referri ad creaturas, vt verbo dictas & exemplatas; hoc autem ratio ad verbo conuenit ex vi suæ processionis: Atque inde quauis scientia & cognitio & relatio consequens sint omnibus diuinis personis communia: habere tamen in se notitiam per modum expressiui.

Cui eadem
relatio ad
creaturas
non conue-
nit. Pater
et Spiritus

pressionis & exemplaris rerum creandarum soli A verbo conuenit ex vi suae processionis, & consequenter etiam respectus ad creaturas sic cognitatas & exemplatas. Nam Spiritus S. cum procedat ut amor, nullam in sui ratione claudit (explicitè saltem) notitiam aut relationem ad creaturas ut notas, ex vi suae processionis. Neque Pater à nobis concipitur ut habens ordinem ad creaturas, ut cognitatas representatas & exemplatas: quamuis Pater & Spiritus S. secundum rem intrinsecè claudant essentiam absolute perfectam: & consequenter ad creaturas relatas, prout est earum species, notitia & exemplar. Refertur igitur verbum secundum propriam rationem ad creaturas: quamuis, ut ostendimus, ratio referendi non sit proprietas personalis, sed inclusa notitia modo iam dicto.

Valg. dicta ad bonu seu sum rediuntur. & cor viginti.

Quod etiam, ut arbitror, voluit affirmare Valsquez dicens relationem verbi ad creaturas, neque ratione solius essentiae, neque ratione solius proprietatis, sed ratione vtriusque; simul ipsi verbo conuenire; quia verbum praeter relationem, quae est proprietas, includit essentiam & essentialem notitiam, quae continet rationem manifestantis: & ut determinata est proprietate producti, est fundamentum dictae relationis: quamuis ea loquendi forma minus congrua videatur: Nam etsi relatio siue proprietas verbi constituitur cum tali modo procedendi necessaria sit tanquam conditio, ut verbum singulariter dicatur referri ad creaturas: rectè tamen illius relationis ratio dici non potest proprietas relatiua; quia ratio relationis ad creaturas idè omnino est, quod eius fundamentum. Esse verò fundamentum talis relationis nullo modo congruit relatiuae proprietati aut cuiusque relationi; hæc enim relatio verbi ad creaturas pertinet ad tertium modum ex tribus distinctis ab Aristotele in 5. metaphys. in cap. de ad aliquid; cuius fundamentum in eo, quod ratione refertur, est ipsius relati perfectio, quae formaliter loquendo non potest esse relatio; & in re proposita relatio verbi ad creaturas est manifestantis ad expressa siue manifestata & exemplaris ad exemplata. Igitur proprium huius relationis fundamentum est ratio manifestatiui & exemplaris: quae non ratione proprietatis relatiuae, sed essentiae verbo conueniunt. Non enim continet verbum eminenter creaturas ratione suae proprietatis personalis, ut propter eam sit earum representatiuum & exemplar, aut etiam earum habeat cognitionem: sed ratione essentiae, cui ex infinita perfectione conuenit eminenter continere vniuersa; ac proinde representare, intelligere & operari. Et ex his patet perspicue falsitas opinionis Aureoli superius relatae.

Respectus ad creaturam verbo conuenit secundario, & quasi per accidens.

Quomodo verò talis respectus verbo conueniat: an scilicet per se an potius per accidens, distinctis verbis explicat S. D. de verit. q. 4. a. 5. sic dicens: Refertur tamen verbum ad creaturam ex consequenti, & quasi per accidens: nam verbum ad id, quod per verbum dicitur, potest dici dupliciter: Primo secundum conuertentiam nominis, & sic dicitur ad dictum. Secundo ad rem cui conuenit ratio dicti. Et quia Pater principaliter dicit se generando verbum suum, & ex consequenti creaturas: idè principaliter, & quasi per se verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti, & quasi per accidens refertur ad creaturam: accedit enim verbo, ut per ipsum creatura dicatur. Hæc ibi. Quorum verborum sensus est: verbum ad duo posse comparari. Primum est id quod per se primo verbo dicitur: & hoc est essentia Patris, prout seipsam & omnia representat: & ad hoc

per se primò representatum habet verbum relationem per se, quod est per se referri ad essentiam, ut per se dictum & primò representatum, & prout est ratio cetera dicendi & representandi. Secundum est res, cui applicatur ratio dicti quasi extrinsecè: hæc autem est creatura quae non in seipsa cognoscitur & dicitur immediatè, sed mediante per se primo cognito & dicto, quod est essentia Dei.

Sed ex dictis A. D. verbis magnum exurgit *Obiectio* argumentum aduersus ea, quae diximus in precedente controuersia. Nam si verbo accidit, ut per ipsum dicantur creaturae, & quasi per accidens refertur ad creaturas. Igitur non per se conuenit verbo, ut procedat ex obiectiua cognitione creaturarum: igitur ablata siue præcisa cognitione creaturarum à Deo, non sequitur per locum intrinsecum non esse verbum. Cuius oppositum contra Scotum & alios supra definiuimus. *Solutio.* Facilis tamen est argumenti solutio ex distinctione superius explicata. Nam verbo secundum partialem eius rationem, prout scilicet ex ea præcise Patris notitia procedit, quae seipsum & suam essentiam, ut res quaedam est, intuetur, accidit respectus ad creaturas: & eadem ratione per accidens est, quod à notitia creaturarum procedat. At eidem verbo secundum rationem eius integram considerato per se conuenit respectus ad creaturas, & multò magis earum representatio, & ut ex earum cognitione procedat; adeo ut ea præcisa per locum intrinsecum tollatur verbum, quod de sui ratione procedit ex comprehensiuâ, & infinita Dei cognitione: quam in precedente controuersia probauimus esse non posse sine notitia creaturarum à Deo producibilem.

PRIMA CONCL. Verbum secundum propriam rationem dicit respectum ad creaturas. *Conclusio deducitur, & probatur.*

SECUNDA CONCL. Verbum ex sola essentia, aut ex sola proprietate personali non dicit respectum ad creaturas. *Idem.*

TERTIA CONCL. Verbo non conuenit relatio ad creaturas ratione essentiae simul & proprietatis suae relatiuae. *Idem.*

VLTIMA CONCL. Verbo conuenit singulariter relatio ad creaturas ex notitia essentiali, ut ratione referendi: & ex proprietate relatiua, & modo suae processionis, tanquam ex conditione necessaria, sine qua verbo ut persona ab alijs distincta talis relatio non posset attribui. *Idem.*

Argumenta, & Solutiones.

CONTRA secundam concl. quo ad priorem partem argumentantur Scotista. Respectus verbi diuini ad creaturas, est respectus manifestantis ad res manifestatas: Sed manifestare creaturas conuenit cuilibet personae ratione essentiae; Ergo etiam verbo conuenit ratione essentiae. Resp. hoc argumento probari rationem relationis esse essentiam. Sed ut talis manifestatio verbo singulariter attribuatur, id est prout distinguitur ab alijs personis, necessaria est eius relatio, & modus emanationis, ut conditio. Secundo dico, alijs personis non conuenire manifestare creaturas, prout proprijs nominibus significantur, puta Patris vel Spiritus S. *Solutio.*

Contra secundam partem sunt argumenta Aureoli apud Capr. quae vnico verbo soluit Cai. ex præmissa distinctione duarum propositionum. Vel dic cum Capreolo quod verbum in sui ratione importat cognitionem, quam non impor-

Q 2

bat

rat Patet, nec Spiritus S. est enim verbum sapien-
tia genita.

CONTRA tertiam est argumentum Vasq.
quo probantur prima & vitima nostra conclu-
sio.

TERTIA CONTROVERSIA.

An verbum in diuinis significet primò & formaliter
relationem ad dicentem, an aliquid absolutum?

Sententia
Expositior.

VARIA dicta D. Tho. occasionem præbuere
Thomistis, ipsum in oppositas sententias ex
eius verbis contraria sonantibus collectas distra-
hendi. Nam Caiet. hic affirmat D. Tho. in respons.
ad 4. per ea verba: *Nomen verbi principaliter im-
positum est ad significandam relationem ad dicentem*,
retractare quod dixerat in questionibus de veri-
tate, quæst. 4. artic. 5. nimirum, quod verbi
nomen principaliter significat absolutum.
Eandem sententiam sequuntur Vasquez & Ri-
pa.

Zumellus *disputatione secunda* duo dicit. Pri-
mum. Verbum in creaturis, & verbum ut sic, non
significat primò & formaliter relationem, sed
quid absolutum. Secundum verbum ut sic, licet
ex modo significandi non dicat relationem, ta-
men materialiter & in re significata dicit rela-
tionem, ut etiam supra diximus de persona.

Capreol. in 1. dist. 27. q. 2. & Ferrar. in 4. contra
gentes, c. 13. existimant de mente D. Tho. verbum
dicere primò & formaliter absolutum, & con-
notare relationem: & hoc satis esse ut sit verè no-
men personale.

Suarez lib. 9. de mysterio Trinitatis, cap. 3. ait pri-
mò, parum referre sentire, quod respectus ad pro-
ducentem pertineat ad formale significatum
vel ad connotatum; nam quodlibet (inquit) ho-
rum sufficit, ut verbum tantum personaliter di-
catur. Secundò. Considerato vsu vocis videri sal-
tem includere in suo formali significato habitu-
dinem seu denominationem originis, sicut geni-
tum vel prolatum; quo dicto satis apertè senten-
tiam approbat Cai. cum idem sit relatio realis ad
dicentem, quod habitudo originis prolati ad
proferentem.

CERTUM est in primis, verbum prout in Deo
dicitur, includere relationem realem ad di-
centem; alioquin non esset nomen personale &
filio proprium: ut in duobus articulis precedentibus
dehniuit S. D. Sed controuersia est de modo,
quo nomine verbi significatur, aut impor-
tatur relatio: an scilicet primò formaliter aut
materialiter, vel secundario & connotatiue tan-
tum.

Videtur autem inter hæc opinantium dissi-
dia veritas indaganda ex propria ratione verbi,
quam Thomistæ communiter cum A. D. confi-
tentur. Est igitur verbum formaliter & in com-
muni loquendo, species expressa, conceptio in-
tellectus, intellectum ad intra, intentio intelle-
cta, ac per se primò intellectum, ut terminus in-
tellectionis intrinsecus, & ratio intelligendi rem
per ipsum expressam & intelligeri manifestatam. I-
gitur ratio verbi propriè dicti, ut in a. præc. nota-
uimus ex D. Th. quatuor exigit: primum, ut sit
aliquid expressum à notitia mentis: secundum,
ut dicat relationem originis ad dicentem: ter-
tium est, ut sit manifestatum rei intellectæ:
quartum, ut sit obiectum siue intellectum ad in-
tra. Quod autem horum primò & formaliter si-
gnificetur nomine verbi non planè constat. Ra-

Ratio verbi

tio tñ verbi per hoc formaliter & primò videtur
exprimi, quòd nuncupatur intentio intellectæ,
conceptio & per se primò intellectum, quo res
manifestata cognoscitur; qua loquendi forma
nulla significatur ad dicentem relatio. Nam
quamuis eam in sui propria ratione verbum di-
uinum, ut sui constitutum claudat intrin-
secè: verbum tamen creatum quod primò nobis
innotescit, etsi necessariò procedat à dicente, eo
tamen originis respectu non constituitur in esse
verbi, sed per differentiam quandam absolu-
tam, qua constituitur in hoc quod est esse per se
primò intellectum: cuius ratio cōcipitur ut dua-
rum aut etiam ut trium relationum fundamen-
tum: Nam intelligitur primò ut intellectionis
terminus & complementum: ac proinde ut ha-
bens respectum, & ad intellectionem ut termi-
nus ad viam, & ad intelligentem ut productum
ad producentem. Deinde quia per se primò in-
tellectum est, quo res manifestata cognoscitur,
consequitur in verbo creato realis respectus ad
rem in verbo cognitam; ad eam enim manife-
standam est instituta per se primò creati verbi
natura. Et quemadmodum licet imago sit ab
artifice producta: ratio tamen eius nominis
propria ac per se primò significata non est rela-
tio passiue productionis ad artificem, sed figu-
ra fundans & connotans relationem ad exem-
plar; ita ratio nomine verbi significata nō est re-
latio originis ad dicentem, quamuis ab eo pro-
cedat. Quod idem apparet de verbo vocali, quod
non significat principaliter relationem ad di-
centem, sed vocem ipsam quatenus manife-
stat interiorem mentis intelligentiam. Quam-
obrem accipiendum est hoc nomen verbum,
non ut nomen concretum, sed ut abstractum si-
gnificans formam ad intellectionis perfectionem
maximè pertinentem: quæ forma in intellectu
creato absoluta est, fundans & connotans re-
lationes iā ante dictas. Cum itaque nomen verbi
ex intellectus nostri conceptione prius nota
translatum fuerit ad verbum personaliter in
Deo significandum: idem utrobique formaliter
debit significatum habere; quamuis necesse
sit, ob infinitam rationis vtriusque distan-
tiam, quoad materiale significationem inter-
cedere differentiam. Verbum igitur tam in
Deo quam in nobis conceptionem significat
intellectus. Sed quia conceptio diuina relatione
constituitur, & eadem à concipiente distingui-
tur; idcirco nomen verbi de Deo dictum relatio-
nem significat materialiter: in nobis autem
qualitatem formaliter & materialiter significat
absolutam prout est relationis connotata funda-
mentum. Nam ut hic aduertit Zumellus, ver-
bum diuinum ex vi suæ significationis nihil al-
liud significat quàm conceptionem subsisten-
tem per intellectum productam: in qua signifi-
catione nulla explicatur relatio diuini verbi cō-
stitutiuæ. Quapropter si verbum in Deo per
differentiam aut modum absolutum in suo
esse personali constitueretur, nomen adhuc ver-
bi nostro & Angelico verbo commune retine-
ret; nomen autem filij relationem formaliter ex-
primit. Conueniunt igitur hæc duo nomina
verbum, & filius in eo, quod eandem perso-
nam significant: differunt autem, quòd nomen
filij relationem exprimit, sed nomen verbi,
quamuis relationem implicet materialiter, mo-
dum tamen significationis habet absolutum sal-
tem negatiue; quia scilicet non affert explici-
tè relationem. Nec obstat dictum illud Augustini
vulgatum: *Eo verbum, quo filius*: hac enim loquendi
for-

Verbum in
Deo quia sit
significatum

Tactis obli-
solui.

forma, propter eandem utroque nomine relationem significatam utitur Aug. ut ait S. D. in a. præc. in resp. ad 5.

Secundo sciendum est, quod quamvis nomen persone diuine significet primò relationem ut subsistentem, ut diximus cum D. Tho. in præc. q. 4. 4. non est tamen necesse, ut omne nomen personale relationem primò significet, sed satis est ut eam importet secundario tanquam proprietatem personalem suppositi, ut aduertit Ferrar. & apparet in hoc nomine Deus genitus, quod nomen est personale: Nec tamen primò significat relationem sed essentiam in concreto, & secundario relationem per quam ut proprietatem personalem contrahitur nomen illud Deus, quod indeterminatè respicit tria supposita, ad personam hanc scilicet filij determinatè. Vnde etiam S. Thom. in 1. dist. 15. qu. 1. ar. 2. ait nomine missionis importari ex consequenti relationem originis, secundum quam est notionale: sed principaliter eodem nomine ordinem ad effectum missionis, secundum quem missio nomen est essentiale. Et quamvis ad absolutum, quod primò nomine verbi diuini significatur, consequatur respectus ad creaturas: non tamen sequitur respectum hunc prius nomine verbi significari, quam relationem ad dicentem; tum quia non omne essentiale præcedit in diuinis notionale; nam quæ dicunt relationem ad creaturas consequentem actionem transeuntem, ut esse dominum, creatorem, gubernatorem, non præintelliguntur relationibus personalibus; tum quia ordo nominis in significando non est alligatus ordini rerum in essendo; potest enim nomen imponi ad primò significandum id quod est posterius natura, vel ordine rerum, & secundario, quod prius est à parte rei: sicut patet de hoc nomine album, & quouis alio nomine accidentis concreto, quod primò significat accedens, secundario verò substantiam importat ut eius subiectum; cum tamen sit in re posterius accedens ipsa substantia. Poterit igitur hoc nomen verbum quod est personale, principaliter essentiam in Deo significare cum habitudine personali: secundario verò respectum ad creaturas. Quod exprimeret voluit hic S. D. ad 4. dicens: *Nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas.* Quibus verbis satis aperte constat fieri comparisonem, non relationis personalis nomine verbi significatæ ad absolutum eodem nomine significatum: sed ad relationem qua ad creaturas verbo representatas idem nomen importat. Igitur nomen verbi primò significat absolutum, secundò relationem ad dicentem, tertio relationem ad creaturas verbo dictas & exemplatas.

Ex quo deducit S. D. differentiam inter hoc nomen verbum & hoc nomen idea: quod hoc nomen idea cum eo absoluto quod importat est impositum principaliter ad significandum respectu ad creaturam, non autem respectum ad producentem: & ideo pluraliter dicitur in diuinis. Nomen autem verbi, cum absoluto quod primò significat, prius importat respectum ad dicentem quam relationem ad creaturas: & ideo non dicitur in diuinis plura verba, sed vnum tantum, quod est personale.

PRIMA CONCLVS. Nomen verbi communiter sumptum est absolutum.

SECUNDA CONCL. Nomen verbi in diuinis significat principaliter absolutum, & secundario relationem ad dicentem.

TERTIA CONCLVS. Nomen verbi de Deo di-

ctum est absolutum formaliter, & relatum materialiter.

CONTRA secundam & tertiam concl. argum. Cai. & post eum Vafq.

Primò S. Thom. hic ad 4. ait nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem; ergo &c. Resp. distinctionem illam principaliter significare comparisonem & ordinem relationis verbi personalis: non ad essentiam siue absolutum eodem nomine significatum, sed ad habitudinem ad creaturas nomine verbi connotatam, ut supra diximus.

Secundò sic arguunt S. Thom. in a. 1. huius q. ita loquitur: Verbum, secundum quod proprie dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis; eo quod persone distinguuntur secundum origines. Vnde oportet quod nomen verbi, secundum quod proprie in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum. Ergo &c. Resp. nullam esse consequentiam. Nam, sicut ante diximus, ut aliquid sit nomen personale, satis est ut secundario & materialiter significet relationem.

Tertio. In a. præced. docet S. D. verbum esse proprium nomen persone filij, eo quod significat emanationem intellectus: & addit Vafq. quod loquitur de emanatione non formaliter sub ratione emanationis & viæ, sed sub ratione relationis in facto esse: cum hoc eodem sensu dixerit personas distinguere per origines: cum secundum eius sententiam distinguantur per relationes.

Resp. cum Ferrar. verbum dici emanationem terminatiuè, non autem formaliter; ut sit sensus: verbum est aliquid emanans per intellectum, ut ibidem explicat Ferrar.

Quartò arguit Vafq. Non minus nomine verbi exprimitur relatio dicti, quam nomine filij relatio geniti: at nomen filius significat relationem producti per generationem; ergo nomen verbum significat relationem producti per dictionem. Resp. falsum esse antecedens; nam verbi nomine relatio non exprimitur nisi secundario, aut materialiter; nomine verò filij primò & formaliter. Nec S. Thom. negat relationem ad dicentem connotatiuè tantum significari, quicquid dicat Cai.

QVÆSTIO XXXV.

De imagine in duos articulos diuisa.

DEINDE queritur de imagine.

Et circa hoc queruntur duo.

Primò, Vtrum imago in diuinis dicatur personaliter.

Secundò, Vtrum sit proprium filij.

Ratio ordinis.

DE ORDINE huius quæstionis ad præcedentem diximus in principio dista quæstionis præterita. Duos habet articulos hæc quæstio. In primo, supposito ex sacris litteris nomine imaginis in diuinis, querit illius quidditatem & explicat luculenter. In secundo, rationem vocabulo imaginis significatam ad modum proprietatis considerans, querit, an nomen imaginis sit proprium filio?

Conclusio- nes de du- sta, & proba- tur.